

CORPUS  
PHILOSOPHORUM DANICORUM  
MEDII AEVI  
XI.II

# CORPUS PHILOSOPHORUM DANICORUM MEDII AEVI

CONSILIO ET AUSPICIIS  
SOCIETATIS LINGuae & LITTERARUM  
DANICARUM

AB ALFREDO OTTO & HENRICO ROOS FUNDATUM

AB JOANNE PINBORG CONTINUATUM

NUNC EDENDUM CURAT  
STEN EBBESEN

XI.II

---

HAUNIAE MCMLXXXVIII  
TYPIS FR. BAGGE

# ANDREAE SUNONIS FILII HEXAEMERON

POST M. CL. GERTZ

EDIDERUNT  
STEN EBBESSEN &  
LAURENTIUS BOETHIUS MORTENSEN

PARS II  
COMMENTARIOS ET INDICES CONTINENS



---

HAUNIAE MCMLXXXVIII  
APUD LIBRARIIUM G·E·C GAD

SUMPTUS FECIT  
*INSTITUTUM CARLSBERGICUM*

EDITIONI CURANDAE  
CONSULUERUNT  
*NIELS JØRGEN GREEN-PEDERSEN,  
FRITZ SAABY PEDERSEN, ERIK PETERSEN*

ISBN 87-12-01581-4

© 1988 BY DET DANSKE SPROG- OG LITTERATURSELSKAB  
PRINTED IN DENMARK BY  
FR. BAGGES KGL. HOFBOGTRYKKERI

## TABLE OF CONTENTS

Gertz's Commentarius .....	335
Addenda to Gertz's Commentarius .....	431
Bibliography .....	501
Index of Quotations .....	509
Index verborum et nominum .....	523
Additions and Corrections to Part 1 .....	568

## DISTRIBUTION OF WORK BETWEEN THE EDITORS

Commentary: Ebbesen. Indices: Mortensen. Bibliography: both editors.

## ACKNOWLEDGMENT

The editors would like to record their indebtedness to the work of lic. phil. Fritz Saaby Pedersen, University of Odense, who kindly produced a computer index and a concordance of the *Hexaemeron* to serve as a basis for our index.



## **Gertz's Commentarius**

The following commentary is reprinted from Gertz (1892: 283–375).

Asterisks in the margin refer to our addenda, pp. 431ff. below.

Notice the following abbreviations used by Gertz:

H = Hugonis de S. Victore *Opera omnia*, vols. 1–3, Rouen 1648. Reprinted in Migne's *Patrologia Latina* vols. 175–177.

HS = (Ps.-)Hugonis *Summa Sententiarum*, vol. 3, pp. 417–482 of the 1648 edition = *Patrologia Latina* 176: 41–174.

PC = Petri Comestoris *Historia scholastica*, Venice 1729.

PL = Petri Lombardi *Sententiarum libri IV*, Cologne 1666.

PP = Petri Pictaviensis *Sententiarum libri V*, *Patrologia Latina* 211: 783–1280.

## COMMENTARIUS.

---

### LIB. I.

Hoc libro continentur: Prooemium (1—154). Inuocatio \* (155—89). De creatione mundi et opere primae diei, ubi de angeli animaeque creatione et eius causis, porro de angelorum ordinibus, lapsu, natura officioque disputatur (190—512). De opere secundae et tertiae diei (513—55—97).

Prooemium. 7 collatum fine carenti — si confertur (cum saeculo) fine carenti, i. e. cum aeternitate. 14 sqq.: quae mala, quae dura, quae flagella non toleranda sunt, si d. f. u. aet. gignent? quae bona, quae laeta, quae iocunda non sunt cauenda, si d. p. a. m. parient? 41 sq.: haec, quae sine ulla utilitate discuntur, diserte et copiose tractat poësis, cuius utilitas ingens est (uel potius esse poterat, si recta tractaret). 57 plus pueris, sc. quam adultis, — praecipue pueris. 74 utrinque: et ex aetatis feroore et ex dulcibus poëtarum delenimentis. 82 sqq. cfr. Gregorii libr. Moral. epist. praefat. cap. 4: „Diuinus enim sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refouet. Habet in publico, unde paruulos nutriat; seruat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluius, ut ita dixerim, planus et altus, in quo et agnus ambulet et elephas natet.“ Alia quoque Andreas ex eodem loco sumpsit. 93: ne (hi aestus) succensi et inflammati animam morte reatus perimant. 106 utrinque: et ex ipsius metri suavitate et ex rebus metro tractatis. 112 „expers liuoris et .. laboris“ ad „Auctor“ pertinet, cfr. u. 250: „absque ueneno inuidiae“; expers laboris — nullam molestiam ex labore sentiens, cfr. 164 sq. 114 sq.: Nec tamen timida Musa mea profundum s. s. mare tenera rudit ingenii cymba arare audet. 119 Phoebea chelys — grandiloqui poëtae. 124 quod dicunt: „opposita iuxta se posita magis elucescunt“. 125 fides maior — certior qualitatis cognitio; ex utroque: ex comparatione utriusque rei. 128 perniciosum lolium appositorum efficit, ut liba

adorea meliora uideantur. 132 anseris ex strepitu = cum iniucundo anseris clamore comparatus. 144: nec tantum sapit Musa mea, quantum uel ingenium Phoebi diuinum uel longaeui Nestoris sapientia.

Inuocatio. 155: O Christe alme, dextra Patris, quae omnia creauit. 156 hyles tumultus: chaos confusae materiae. 169 quod . . informet . . pariat: coniunctiuus optatiuus est. 178 sq. sententia illa: „ne Gignens . . acer“ cum uerbis antecedentibus „quibus est . . bonitas una“ iungenda est, et „ne“ hic significat: „quod dico, ne“; cfr. Petri Lomb. sent. I, 34, f: „Una est potentia, sapientia, bonitas patris et filii et spiritus sancti, et hi tres eadem potentia, eadem sapientia, eadem bonitas . . In sacra tamen scriptura frequenter solent haec nomina distinete ad personas referri, ut patri potentia, filio sapientia, spiritui sancto bonitas attribuatur.“ 181 sqq. cfr. Gregorius l. l. cap. 2.

(In sequentibus his notis utor: PL = Petri Lombardi Sententiarum libri IV, ed. Colon. 1666. — PC = Petri Comestoris historia scholastica, ed. Venet. 1729; ubi nihil aliud indicatur, significatur ea huius operis pars, quae „liber Genesis“ inscribitur. — H = Hugonis de S. Victore opera omnia, 3 uoll., ed. Rothomagi 1648; praecipue citatur HS = Hugonis Summae Sententiarum tractatus VII, uol. 3 p. 417—82. — PP = Petri Pictaviensis Sententiarum libri V, ed. in Patrol. Migne Latina, uol. 211 p. 779—1280.)

190—512: cfr. uniuerso PL 2, dist 1—3, 6—13. PP p. 942—59. HS tr. 2. PC cap. 1—3.

\* 192 PC cap. 1: „in principio . . creauit caelum et terram, . . et simul; sed quod simul factum est, simul dici non potuit. Licet enim hic prius nominetur caelum quam terra, tamen scriptum est (Psalm. 101, 26): In initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli.“ 193—99 cfr. PL 2, 1, b. 200 Principium Genitus . . est: cfr. Euang. Ioann. 8, 25, qui locus in Vulgata sic male uertitur: „Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui(a) et loquor uobis.“ 200—7 cfr. PL 2, 2, d; Augustin. de Genesi contra Manich. I, 2: „debemus intelligere, quod ante principium temporis non erat tempus; deus enim fecit et tempora.“ 202 PC l. l. „Creatus autem mundus est in principio, id est in Filio; et iterandum est „in principio“ sic . . : „in principio“, scilicet temporis; coaeua enim sunt mundus et tempus.“ — 203: Non hoc initium (sc. temporis) praecessit (sc ipsum tempus), tamquam initium temporis ante ipsum tempus esset creatum. 204 infra sumptum, i. e. secundo loco nominatum (u. 201 sq.).

208—26. PL 2, 2, e; 2, 9, a. b; Gregorii homil. 34 in Euangelia. — 212 PL: „Throni uocantur, qui tanta diuinitatis gratia replentur, ut in eis sedeat deus et per eos iudicia decernat atque informet“; utrum „statuentis“ an „statuentes“ scribatur, parum referre uidetur. 216 PL: „Virtutes uocantur illi, per quos signa et miracula frequenter flunt.“ 218 sq. cfr.

(in Euang. apocryph.) hist. Iosephi c. 13; c. 22 sqq. Euang. Nicodemii Graec. part. II cap. 9 sqq. et Latin. part. II A cap. 9. 222 sqq. cfr. PC lib. Exodi cap. 74; hist. Danielis cap. 11; Gregor. lib. Moral. XVII, 12(17). 226 inde minor = qui ideo minor dicitur.

227—55. PL 2, 2, g; 2, 12; PC cap. 2. — 228 sqq.: uerum nil aliud (sc. distinctum et in formas redactum) simul cum terra creauit; cuncta tamen, quae mox in ea futura erant, simul cum ea in materia creauit, etsi nondum distincta et formata. 233 infectis = non factis, non creatis; sic scriptor breuiter eam tangit disputationem, quam habet Augustinus in lib. de Gen. contra Manich. I, 4, et quam significat etiam PC his uerbis: „Alii irridentes Deum ueteris testamenti dicunt eum prius creasse tenebras quam lucem; sed tenebrae nihil aliud sunt quam lucis absentia“ 235 apta gerendis = apta ad omnia, quae inde produci debebant. 242 sqq. cfr. PP p. 977 summa. 252—55 \* adduntur propter id, quod dictum est u. 245: elementa decoris egena.

256—91. PL 2, 1, c—i; 2, 21, f. — 269: immo (ut) mereretur i. g. 280 sqq.: ruina bonorum, quae est (uel: qua effecta est) imperfectio eorum duplex, scilicet et laetitiae et numeri, reparrera est. 288 aspernabantur, scilicet ante hominum redemptionem a Christo perfectam. 290 Christus homo = Ch. h. factus, Christi incarnatio. — 291—313 PL ibd. k. 293 quamuis . . per se = PL: „cum maioris dignitatis esse uideretur anima, si absque corpore permansisset.“ 296 Aut = Si uero causa quaerenda est, aut . . ; huic „aut“ respondet „uel“ in u. 307. 298 sibi = ei, Deo. perennem . . fruentes = fruentes (nota deitate, i. e.) dei cognitione, quae perennem laetitiam dat. 300 sqq.: uita enim perennis, si deitatis cognitione semel acquisita est, amitti certe non poterit, nec eius cognitionis possessor umquam omni bono priuabitur. 303 sed = praeterea; ergo dicitur: „praeterea, (quamuis concedendum sit, copulatione carnis aliquid animae esse detractum, tamen) non plus . . surget“; sic igitur detractio illa aliquando compensabitur. 305 proficiet = addet. uelamine carnis, i. e. uelamine noui et glorificati in resurrectione corporis. 314—23 cfr. PL 2, 9, g; Gregorii homil. 34, cap. 11; ultima tamen (u. 321—23) fortasse Andreae ipsius sunt. 324—25 PL 2, 9, h. i.; Andreas tamen potius assentitur PP p. 953: „Certum est, quod tot homines ad caelum ascendent, quot angeli corruerunt; sed utrum plures ascensuri sint, quam angeli lapsi sint, uel quot angeli in caelo remanserint, dubium est; plures enim remanserunt quam ceciderunt.“ — 326—28 PL 2, 9, l (ubi quaeritur, num hi ordines ab initio creationis et iam ante ruinam angelorum fuerint distincti; quod negatur). 326 mansissent = antea fuerint. inde . . dicuntur: nam hoc ex locis Ezechiel. 28, 12 sqq. et Ephes. 6, 12 non nulli concludebant. — 329—30 PL 2, 9, b: „ordo dicitur multitudo caelestium spirituum, qui inter se in aliquo munere

gratiae similantur, sicut et in naturalium donorum munere conueniunt.“

- \* 331—44. PL 2, 13, a. b. g; 2, 5, b; PC cap. 3. — 340 membrorum: ergo ne linguae quidem, ut ea loqui possit.
- \* 345—90. PL 2, 3, a—c, f; 2, 6, a. b; 2, 9, g. — 345 essentia simplex, i. e. indiuisibilis et immaterialis (PL). 351 plenius, sc. quam ceteri omnes. 369: ut non conformis (ceteris angelis) subditus (Domino) esset, sed (ut) dominaretur &c. 374 sq.: aequum despicit superbus et intendit id uelle, quod non possit. 379 stantibus — si stetissent. 382 utrinque — et angelis et hominibus. 386 Obicitur: „sed si Satanae persuasio causa fuit, cur ceteri angeli mali cum eo consentirent, debuit eorum reatus aequre reparabilis esse atque Adae culpa, quae ex Satanae persuasione orta est“; huic deinde obiectioni respondet. 388 ipsa, i. e. persuasio. 389 infirma caro, quae in Adam erat, in angelis uero non erat. Ceterum cfr. PL 2, 21, e. HS tr. 3, cap. 6.

391—424 cfr. PL 2, 6, b. c; 2, 8, a; PP p. 949—51; ceterum quaedam propria hic Andreas habet. 391 cfr. epist. Petri II, 2, 4; epist. Iudae 6. 393 maius posse — maior potestas, uid. Index s. u. posse. 407 sq. hoc dicit: angeli, qui permanerunt, statim post lapsum malorum (cfr. 358 sq.) acceperunt uirtutum dona et confirmationem per gratiam Dei atque ita simul beatitudinem; sic igitur in illis praemium praecessit merita, quae adhuc nulla habebant, cum postea demum (= recenter) mereantur per obsequia nobis exhibita; item in malis quoque poena statim post lapsum inflictis praecedit culpas, quas postea merebuntur (recentes culpas = culpas postea, in praesenti saeculo, perpetratas); cfr. PL 2, 5, g; 11, d—g. 409 sq. E contrario, cum in angelis omnibus praemium (uel poena) praecedat merita, in hominibus semper merita praecedunt praemium; nam in hac uita meremur, in futura demum praemium accipiemus; solus Christus homo in hac uita simul et merita et praemium habuit. 412 sqq. Dixit Andreas antea, in angelis tam bonis quam malis praemium uel poenam praecedere merita; iam quaeri uidetur, num, sicut malorum poenam olim, post hoc saeculum, maiorem futuram esse constet (cfr. u. 360, u. 399 sqq.), ita etiam beatitudo bonorum olim maior futura sit; hoc ita esse illi putant, quorum sententia u. 412—20 affertur; alii uero, quorum sententia u. 421—24 proponitur, bonis statim plenam beatitudinem datam esse putant atque ita in his solis praemium plenum merita praecessisse, cum in malis poena plena culpas olim secutura sit. Andreas hic, ut saepius alias, non declarat, utri sententiae magis faueat; alteram tamen potius probare uidetur, cfr. 360 sqq. 419 sq.: similiterque crescat gloria iustorum, ita tamen, ut inferior ordo angelorum numquam adeo gloria augeatur, ut par fiat ordini proxime superiori; u. c. angelus numquam fiet archangelus, numquam Cherubin in ordinem Seraphin uenient.

424 cfr. PL 2, 4, b: „Deus non prius est ultius, quam aliquis (sit) peccator; non enim damnat innocentes.“

425—35 PL 2, 3, g extr.; 2, 6, b; 2, 7, i; cfr. 2, 44 b: „potestas mali a deo est, a quo est omnis potestas“. 429 affligere, probationis et exercitationis causa, ut uult PL. 436 sqq. cfr. PL 2, 3, k; 11, e. 436: sui (non aliorum) dilectionem habent etiam post lapsum, quam ante lapsum iam habebant. 437 quam . . nequiuuit, cfr. infra u. 2489 sq. 442 cfr. epist. Iacob. 2, 19. 443: trinum esse Deum non potuerunt tum rationis acumine intellegere. 444 sqq., cfr. u. 6040—55. 450 credunt, etiam post ruinam. 451 sq.: sicut is, qui patrem suum mortuum esse dicit, uerum dicere uult, et uellet tamen non uerum esse, quod dicit.

453—80. PL 2, 11, a; PP p. 955 sq.; hist. Iosephi cap. 13. — 457: plus quam alii angeli ei prodesse studet angelus ille, qui proprius eius amicus est. 461: implet enim officium suum ita, ut nihil minuat uel omittat ex iis, quae ei ad amici salutem facere contingit (i. e. quae facere potest et debet, ut peccantem retineat), etiamsi hic angeli custodis admonitionibus oboedire noluerit. 464 captum — hominem, quem fraude cepit. 470: etiam praescitus suum angelum custodem habet; sed quamuis hic eum custodiat &c. 477—80 parenthetice adduntur ad illustrandum, quod u. 475 dixit: „nesciat“; et dicit hoc Andreas: angelus nescit ille quidem praescitum esse hominem, quem custodit, sed non hoc ignorat neque adeo ignorantia et errore tenetur, ut credat eum saluandum esse; nam angelus omnis poenae expers est, ergo etiam ignorantiae et erroris; „ignorantia enim poena peccati est, . . . quia ignorantia non dicitur, nisi cum id, quod sciri et non ignorari debet, nescitur; talisque ignorantia poena peccati est, cum mens uitio obscuratur, ne cognoscere ualeat ea, quae scire deberet“, PL 2, 20, i; cfr. PP p. 947.

481—90. PL 2, 10; PP p. 954. — 483 nos subiectos — nos, qui etiam imis angelis subiecti et inferiores sumus. 484 sqq: contradicere superioribus hoc uidetur, quod dicitur apud Isaiam: „et uolauit ad me unus de Seraphin“; sed obiectio facile remouetur. Seraphin enim sunt ardentes; ergo eius ordinis officium impleuit angelus inferior ad Isaiam missus, ut os eius incenderet, i. e. ut delicta eius igne consumens labia prophetae mundaret, ideoque nomen ordinis superioris huic angelo impositum est. 490 ubique manentem, i. e. Deum. — 491 sqq.: in Deo solo uelle et agere, uoluntas et actio, prorsus idem est, ideoque in Spiritu sancto ipsa uoluntas est missio et effectus uim habet, ut sola uoluntate, non loci mutatione, eius missio efficiatur; in angelis secus est, ideoque in iis missio est migratio et locorum permutatio.

495—500. PL 2, 8, a—e. — 499: uel (totum unum) sensibile reddatur a corpore iuncto. 500: quamuis et in forma et in actu corpori solido simile fiat. — 501 sqq. PL 2, 8, e: „implet Satanus cor alicuius, non quidem ingrediens in

eum et in sensum eius, neque introiens aditum cordis, siquidem potestas haec solius Dei est, sed callida et fraudulenta deceptione animam in effectum malitia trahens per cogitationes et incentiuia (i. e. instigationes) uitiorum, quibus plenus est.“ Cfr. Isidori Sent. III, 5: „Diabolus non est immissor sed incensor potius uitiorum. Neque enim alibi concupiscentiae fomenta succedit, nisi ubi prius prauae cogitationis delectationes aspexerit“. „Inceptor“ ergo est, qui incitat malas cogitationes, quae iam cordi insunt; „immissor“ est ille, qui eas in corde creat. 503 cfr. u. c. Euang. Ioann. 13, 2: „cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas“.

- \* 505—12. PL 2, 13, b—e; PC cap. 3. — 507 umbram . . . faciens: participium parum recte ad „corpus lucis“ refertur; rectius diceretur: „objectu terrae umbram faciente ibi, u. s. a.“ 510 sqq.: donec ortum mane (= ortum diluculum matutinum), fulgidam nubem adesse contestans (= redire nuntians), primum diem 24 horarum finiret o. s. Nam „hic est naturalis ordo distinctionis dierum, ut . . computentur dies a mane usque ad mane“, et: „mane dicitur finis praecedentis et initium sequentis diei“, PL.

513—55. PL 2, 2 f. h; 2, 14, a—d; PC cap. 4. — 515 nomen ab igne sortitum: uocatur enim „empyreum, id est igneum, a splendore, non a calore; quod statim factum angelis est repletum“, PL; hoc caelum est, quod in principio creasse Deus dicitur; firmamentum uero secundae diei opus est. 519: unde creditur hoc (i. e. caelo empyreo) aliud caelum sublimius esse; est enim apud Isaiam: „Ascendam in caelum“. 522: „ad imaginem testae, quae in ouo est“ PC. 523 aquis glac: nam „ex aquis congelatis ad instar crystalli consolidatum est.“ 530 quatuor: sc. caelum Christi superempyreum, c. empyreum, c. aetherium (uel firmamentum), c. aërium. 531: Aqua, quae firm. supereminet, aut &c. 534 philosophus: sic indefinite etiam PC, quem sequitur Andreas, nec ueri simile est eum de certo aliquo philosopho (sive Platone sive Stoico aliquo) cogitasse; ceterum PL etiam Augustinum huic sententiae fauisse dicit. 536: uel cum propter defectum mundi, qui ibi finitur, altius ascendere nequeat. 541: In scriptura legitur: „Dixit quoque Deus: fiat firmamentum . . et fecit Deus firmamentum . . et factum est ita“; trium uerborum significatio declaratur, ut apud PC. 544 priuaretur laude: quia in hoc die non additur: „Viditque Deus, quod esset bonum“; ceterum uid. PC. 547 sqq. cfr. H praenotationes elucidatoria in cap. 15 (de numeris mysticis sacrae scripturae); cfr. PC: „Deus unitas est, et sectionem et discordiam detestatur“. 554: uel gloria laudis non ablata est huic diei, sed tantum differtur (quia opus secundae et tertiae diei re uera unum cohaerens opus est).

556—91 PL 2, 14, e; PC cap. 5. — 560 Et licet . . simul: ut non in unum locum collectae esse videantur. 561 obs. u. terrae = „continentur in uisceribus terrae“, PC. 562

sq.: Aut aquae antea vaporae, cum iam consolidatae essent, tantulum tum spatium occupabant, ut in uno uelut fonte, quem effecit terra subsidens et cauas partes praebens, continerentur. 565 ab humoris recessu = post h. recessum, ut uidetur; nam PC: „cum apparuit, arida (dicta est)“. Etymologiae, quas a PC accepit Andreas, ex parte etiam apud Isidorum (Orig. 14, 1) inueniuntur. 570: „circumpositis tribus elementis“ PC. 572: sic uocauit „Hebraeo idiomate, qui quaslibet aquarum congregations uocant maria“, PC. 580 „tantum“ hic plane superuacaneum uidetur. 584 In scriptura tantum „pomi ferum lignum“ nominatur; sed pomi nomine hic etiam nux significatur. 586 \* sq.: Grana, dum etiam in sementiis (herbis) sunt, „sementis“ uocantur, detecta uero, i. e. aristis nudata, „semen“ appellantur, et „seminium“, cum serendo terrae mandata sunt; paulo aliter PC, qui dicit „semen dicitur, cum seminatur“, sed uerbum ultimum corruptum uidetur. 589 „seminium“ idem est quod „origo“, cuiusque rei exordium significans. PC. 590 sq.: quod herbae et arbores cum fructu natae sunt, ostendit terram in autumno (— „in Augusto sub Leone“, PC —) coepisse; sed quod „uiridem“ herbam scriptura dicit, effecit, ut fideles potius eam sententiam amplectentur, ueris tempore mundum ortum esse; „in Martio factum dogmatizat Ecclesia“ PC. — 592—97 PL 2, 14, f; PC cap. 6 initio. — 597: „plantae enim, quia terrae haerent, ad dispositionem terrae quasi magis spectant“ (sc. quam ad ornatum) PC.

## LIB. II.

De opere quartae, quintae, sextae diei usque ad hominis creationem (598—708—737—781). Disputationis de Trinitate initium (782—1227).

598—707 PL 2, 13, f. g; 2, 14, c. f. g; PC cap. 6. — 604 PC: „dicitur sol, quia solus lucet; luna, luminum una, id est prima.“ 609 quae . . diei, ut quaedam animalia et aues. 611 ne displiceat, sc. nox. 613 sq.: sunt pergrandes (in) corpore: cfr. PC: „Sol et luna dicuntur magna luminaria . . . non solum pro quantitate luminis, sed et corporis“. 614 sq.: nam minore (i. e. luna) terra paulo maior est; sic Andreas rectius quam PC: „luna etiam maior terra dicitur“. 624 sq.: uel ex ipsa illa nube Deus solis corpus fecit, ita ut simul lucem eius augeret. 626: praeterquam quod lucis usum praestant et decori sunt. 628 sq.: quia (sc. per haec) signantur illa, quorum sunt signa, tempestas scilicet et serenitas, ut ab hominibus prae noscantur, qui sic intellegent, quando nauigare, seminare, metere, similiaue alia facere debeant. 630 „Ex ipsis . . . uocari“

- uidetur significare: ab his, quae proprie signa uocantur, nomen hoc merito, scilicet quod eadem signant, translatum est ad XII signa Zodiaci (u. Signiferi), quae sol annuo cursu perlustrat.
- 632—44: haec scriptor ab auctoribus supra indicatis non petuit;
- \* similia inueniuntur apud Isidorum in Orig. III, 70. 632 Isidorus: „Arietis signum . . primum constituerunt, quod in mense Martio, qui est (rectius: qui olim erat) anni principium, solem in illo signo cursum suum peragere dicunt“. Septemtrionem spectanti dimidia pars Signiferi, in qua Aries et 5 proxima signa sunt, a dextra est; et ab iis, qui Signiferi signa depingebant, Aries dextro armo incubans pictus esse uidetur. 634 Maio mense sol in TAURO est; aptumque hoc signum est ad significandum tempus, quo terra bobus aratur. 636: est Cancer (retro gradiens) signum, quod sol tenet, cum retro ire et ad austrum descendere incipit mense Iunio extremo. 637 Post, sc. sequitur. 638 Virgo (deinde sequitur, quod signum sic dicitur), quod . . tellus; nam, ut ait Isidorus, „eisdem diebus, in quibus sol per Virginis signum decurrit, terra exusta solis ardore nil parit (sterilis est); est enim hoc tempus canicularium dierum“. 639: cum sol in signo Librae est, mense Septembri, aequinoctium autumnale facit. 640 In fine mensis Octobris, ad quem Scorpiorum signum pertinet, brumae frigus pungere incipit, sicut scorpius caudae aculeo pungit. 650 cuius, i. e. rationis. 651 famulantibus — utpote quae seruant. 656: ne pariter cum eo (qui de caelo errat) a caeli Patre recedat. 657 Non . . tempora: sicut forte quis inde concludere possit, quod haec luminaria „in tempora“ facta esse dicuntur; immo tempus cum mundo coepit (cfr. u. 202); sed „tempora“ hic quatuor anni tempora designant, quibus omne tempus distinguitur. 659 notanda metonymiae figura. 660: facit aequinoctium sol bis in anno in aequatore stans, et bis in anno solstitium facit ab aequatore longissime remotus. — 664 sqq. minor dies (i. e. dies vulgaris XII horarum) cum nocte sua implet (= efficit) maiorem diem XXIV horarum, ut hic semper aequalis sit; sed ipse dies minor numquam eandem mensuram seruat, sed pro anni temporibus semper brevior aut longior fit, simulque nox eius eadem ratione aut longior aut \* brevior fit. 678 sqq.: cunctis anni solaris diebus CCCLXV superest fere quarta diei pars (uel sex horae), quae quatuor annis quater sumpta (et computata) quartum quemque annum bisextilem (Skudaa r) facit, (qui sic appellatur,) quod luna (i. e. dies) in eo bis per „sesto Kalendas“ numeratur. Nam dies bisextilis ante diem XXIIII mensis Februarii, qui Latine „ante diem sextum Kal. Martias“ uel „sesto Kal. Martias“ uocatur, inculcabatur, et ipse, ut scriptor quidem putat, iterum eodem nomine uocabatur (— re uera erat „ante diem bissextum Kal. Mart.“). 684 sqq.: annus solaris CCCLXV dierum annum lunarem, qui CCCLIV dies habet, undecim diebus superat. Verba, quae sequuntur, parum clara sunt, sed eorum sententia haec esse uidetur: propter hos XI dies saepe resumptos et

computatos in spatio XIX annorum lunarium annus lunaris septenis uicibus (i. e. septem uicibus, uel: septies una uice) superexcrescit et septies uno mense lunari augetur, quæna mensem tringita dierum vulgaris anni lunaris XII mensibus adiungit. Meton, nobilis astrologus, qui Athenis circa bellum Peloponnesiaci tempora floruit, computauerat, XIX annos solares CCXXXV mensibus lunaribus (i. e. XIX annis lunaribus et VII mensibus lunaribus) aequales esse, ut hoc spatio exacto lunae uices rursus iisdem diebus fieri inciperent; igitur secundum annos lunares tempora computantes in spatio XIX annorum septem annos embolismales faciebant, XIII menses lunares uel CCCLXXXIV dies habentes. Hunc Metonis cyclum, qui uocabatur, hic spectare uidetur Andreas; et secundum eum hodie quoque in nostris calendariis anni „numero aureo“, qui uocatur, numerantur. — 696 sq.: astra inferius ipso firmamento, per se seiuncta, mouentur; non cum firmamento rapiuntur, tamquam ei infixa sint. 699 noctis .. tradit: nam cum uerba Genesis (I. 16) uulgo sic uertantur: „fecitque Deus .. luminare maius, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti“, in alia translatione, ut dicit PC, est: „fecitque Deus .. luminare maius in inchoatione diei, et l. minus in inchoatione noctis“. 704: aut, si priorem interpretationem uerborum amplectimur, ambo sunt facti mane quartæ diei, sol in oriente, luna in occidente caeli.

708—36. PL 2, 15, a; PC cap. 7. — 716: grossas (i. e. \* spissas et graues) aquas in pisces consolidauit, tenues uero aquas in aues, prout aquae utraeque aptae his effectibus erant. 724 sqq. in Vulgata est: „dixit etiam Deus: producant aquae reptile animae uiuentis..., creauitque Deus .. omnem animalia uiuentem atque motabilem“. 728 quibus — eae animae, quibus. 729 rationales, sc. animae, quales homines soli habent. non bestiae. PC: „motabiles dicuntur animae piscium et auium respectu animae hominis; illæ enim mouentur de esse ad non esse (i. e. intereunt), ista non, quia perpetua est.“ 734 sqq.: „Crescere“ hic non augmentum corporis significat, sed augmentum numeri, ut adiectum uerbum „multiplicari“ ostendit.

737—67. PL 2, 15, b—d; PC cap. 8. — 744 iumenta: \* „tamquam iuuamenta“ PC, ex etymologia, quam habet Augustinus in quaest. in heptateuch. 5, 38. 747 cetera, sc. animalia; reptilia dicit et bestias. 750: quando aut laeditur aut timet, ne laedatur (ab) illis. 757 ore tamen uermes: „qui primo terram figentes ore sese postea trahunt“ H in Adnot. elucidatoriis in Genesin, cap. 7. 759 Vermes — illi tamen uermes. 761 apes ex cadaueribus iuuencorum oriri putabant, scarabeos et uespas ex equis mortuis. 766 sq. PC: „quod piscibus et auibus dictum est: „crescite et multiplicamini“, etiam de his (omnibus animalibus) intelligendum est, licet non sit dictum hic; est enim communis causa creationis eorum.“

768—81. PL 2, 16 a, d; PC cap. 8. — 768 sq. circa quam . . loquuntur = quam singulari quodam creatoris studio factam esse ipsa sacrae scripturae uerba, quibus narratur, ostendunt. 770 tres personae = Deus trinus. 779 sqq. cfr. PP p. 966: „homo fuit factus ad imaginem et similitudinem Dei; ad imaginem, quantum ad bona naturalia, scilicet rationem, memoriam, intellectum; ad similitudinem, quantum ad bona gratuita“ (,quae sunt uirtutes; per has enim similes Deo sumus). —

- \* Cum sic u. 770 tres personas diuinis nominarit, hunc locum aptum iudicauit scriptor, ubi disputationem de Trinitate insereret. Haec disputatione continetur u. 782—1416 atque ita comparata est, ut scriptor logicorum more hoc sibi praecipue proposuerit, ut declararet, quibus nominibus quibusque uerbis usi de una Dei essentia, de tribus personis, de quinque proprietatibus diuinis rite loqui possimus. Haec omnia aliis relinquo; nam etsi multo labore insumpto fere omnia nunc me intellegere spero, sunt tamen pauca, quae nec ipse intellego nec aliis explicare possum; praeterea, ut uerum fatear, hae disputationes argutae a meo ingenio abhorrent, ut iis immorari pigeat. Multa tamen ad haec enarranda in „Indice“ congessi, multa ex libro I PL et PP peti possunt.

### LIB. III.

Disputationis de Trinitate ultima pars, ubi maxime de proprietatibus diuinis agitur (1228—1416). De hominis creatione reliqua adduntur (— 1467). Tota creatio secundum physin explicatur (— 1518). De fine creationis et de septima die (— 1557). De creatione Adae, de Paradiso, de creatione mulieris (— 1812).

1417—67. PL 2, 15, g; 16, e; 19 a, b; 4, 26, e; PC cap. 9—10. — 1421, cfr. u. 768 sq. 1432: quanta potestas ei propter culpam sublata sit. 1457 quae seiuncta minus, sc. ualent.

- \* 1468—1518: in his quem auctorem Andreas habuerit, nescio; ceterum ex libris Augustini de Genesi ad litteram multa petere potuit. 1469 in anteriora, sc. recto cursu procedens. 1476 immensus, sc. aquis. 1488 uel = quin etiam (terram, non aquas solum). 1489 multa leuitate = quamuis ipse leuissimus sit (ut opinor). 1490: nam uenti ex aquis et terra surgunt, rursusque aquas et terram constringunt. 1494 sic aqua decrescens, cum pars eius in nubes tolleretur. 1500 ipsa, i. e. aqua. 1501 sed = porro, praeterea. 1502: quamuis sublimes (= subtiles?) et acuti sint obtutus. 1506 supra terram aér: qui tamen spissior est. 1517 iuxta physim subsistere = cum placitis physicorum conciliari.

1519—57. PL 2, 15, f—h; 2, 12, g; PC cap. 11. — 1520 talibus — his tribus actionibus, quae omnia complectuntur. 1521 primus limes numerorum continet numeros monades ab uno usque ad decem; sed cum senarius non modo primus sed etiam solus ex hoc limite perfectus sit, fieri potest, ut Andreas hunc limitem usque ad centum extenderit. Numerus perfectus vocatur, qui hanc habet qualitatem, ut multiplicatiuae eius partes (i. e. omnes numeri minores, qui eum diuidere possunt) in unum aggregatae summam ipsius numeri compleant; uelut  $6 = 1 + 2 + 3$ ; proximus eiusdem generis numerus est  $28 = 1 + 2 + 4 + 7 + 14$ . Cfr. Martian. Capellae lib. VII, 753; H praeonot. elucid. cap. 15. 1523 in sex diebus: sic enim Septuaginta habent (Gen. 2, 6): „compleuitque Deus sexto die opus suum“. Sed in libro Hebraico est „die septimo“; inde oritur ea quaestio, quae uariis modis soluitur u. 1533 sqq. 1535 nil, i. e. nihil nouum. completum, sc. id esse. 1557 seruari sacra — sanctificari; nam in decalogo est: „memento, ut diem sabbati sacrificies“.

1558—94. PL 2, 17, a—d; PC. cap. 11 epilogus; cap. 12. Quae ratio inter duas de hominis primi creatione narrationes, quas habet Genesis, intercedat, Andreas explicare conatus non est; PC sic conatur: „quia de creatione maris et feminae simul dixerat, quae tamen simul facta non fuit, ut explicet, quod sub breuitate concluserat, repetit de aliis generationes, &c“. 1569 sq. inde .. ponitur: „quia legitur ibi „fons“, et non „unus“, multitudinem innuit“, PC. 1577 ab illa — per (u. propter) illam. 1580, cfr. u. 725 sqq. 1581 cum faucibus — faucibus, faucium ope; cfr. u. 340; uolendo — sola uoluntatis ui.

1595—1665. PL 2, 17, e—f; 2, 21, g; PC cap. 13—15. 1595 locus ortus (gen. cas.) — locus, ubi ortus est. 1600 deliciis plenum: nam „Eden hebraice latine deliciae interpretatur“ PC. 1613: „ita ut nulla infirmitate (— languore) uel senio (— aetate) uel anxietate (— dolore) in occasum laberetur“ PC. 1618: inflictio poenae, quae uetitum gustum (— esum) ultra est. 1622: Phison, cuius nomen „oris (— faciei) mutationem“ significat: „quia mutatur a facie, quam habet in Paradiso“ PC. 1630 aequiuocatus „celeri“ — cuius nomen idem significat, quod „celer“; PC dicit: „tigris animal est uelocissimum, et ideo fluuius ille a sui uelocitate tigridi aequiuocatus est.“ 1632 ex re: nam in lingua Chaldaica Euphrates „frugiferum, fructuosum“ significat. 1639 quare u. c. oriri — „inde est, quod de ortu eorum uaria leguntur; dicitur enim Ganges nasci in locis Caucasi montis, Nilus non procul ab Athlante, Tigris et Euphrates ex Armenia“, PC. 1643 sqq. Verba Hebraica (Gen. 2, 15) uulgo sic uertebant: „Et posuit eum in paradiſo uoluptatis, ut operaretur, et custodiret illum“; ita incertum erat, utrum pronomen „illum“ ad „eum“, i. e. hominem (— ut subiectum sententiae „Deus“ esset —), an ad „paradisum“ referri deberet, et sic ortae sunt uariae duae explicationes, quas Andreas u. 1643 et

1644 proponit; praeterea alii non „illum“; sed „illud“ in uersione habebant, unde ceterae enarrationes ortae sunt, prout „illud“ uel ad „custodiret“ solum uel ad utrumque uerbum obiecti loco referebatur; nisi forte illa enarratio, quae u. 1648 sqq. proponitur, ad textum pertinet, a quo pronomen plane aberat. 1645 custodiret attendens = attente consideraret. 1649 iussit prohibens = uetuit. 1660 habendam = quam mox erat habiturus. 1661 coniuge iussum praecedente = coniuge ante iussum iam creata. Septuaginta enim, ut dicit PC, habent pluraliter: „morte moriemini“; sed Moyses (= textus Hebraicus) singularem ostendit. 1663 scripturae more — ut non raro fit in sacra scriptura; ceterum cfr. 1466 sq. — 1665: „facta autem haec iussio est per aliquam creaturam subiectam, sicut et (fit) nobis per prophetas et angelos“ PC; cfr. PL 2, 8, d.

1666—1736 PL 2, 18, a. e. g.; 2, 17, d; 4, 26, a; 4, 32, a; PC capp. 16. 17. 19. — 1668 istis uerbis: et praecipue quidem uerbo, quod est „simile“, ut ostendit u. 1670. 1681: Pisces adductos esse uerba Genesis non diserte dicunt; quare pisces aut nomine, quod est „animalia terrae“, simul continentur, aut &c. 1682 sq. unde.. ferarum: „uel potius pisces post ab hominibus sunt cogniti et inde nominati; quod patet, quia aequiuocantur animalibus terrae, qui similes his deprehensi sunt“, PC. 1684. Est piscis quidam, qui lupus uocatur, qui ex lupo siluarum nomen accepit; similiterque etiam alii pisces iisdem nominibus, quibus bestiae terrestres, appellantur. 1685 „nil“ hic pro ablative est (uid. Index), = nullo animali. 1688 repleuit carnem .. os, sc. Adae. 1690 Per se = ipse, sua opera, sine ministerio angelorum, quo tantum in extrahenda Adae costa usus erat; Andreas hic cum PL contra PC facit; nam PC dicit: „aedificauit ministerio angelorum illam costam in mulierem“. 1697 impossibile, sc. Deo. 1701 sq.: qua noua causa adueniente noua res, quae prius esse nequiuuit, procedat ad esse. 1703 ex prole = propter prolem; ut proles produceretur, rursus nouae causae a Deo creatae sunt. 1704 extasis: sic Septuaginta, ubi in Vulgata „sopor“ est. 1705 uentura = euentus futuros; qui deinde uocantur: profundi consilii secreta Dei, cfr. u. 3184. 1708 os Patris = filius eius, Christus. Alanus de Insulis in Elucidatione super Cantica Canticorum cap. 1: „Os Patris“ inquit „dicitur Filius multiplice de causa. Sicut enim aliquis alicui loquitur ore proprio, sic Pater per Filium locutus est mundo. Os est eiusdem naturae cum reliquo corpore: ita Filius est eiusdem naturae cum Patre. Et sicut ore propinatur osculum, ita Pater per Filium fidi animae propinat gratiae ferculum.“ 1710: sicut animi consensu et concordia, sic etiam una carne. 1712 Hinc, quia in tali extasi fuerat, rediens ad se prophetare coepit; nam uerbis, quae dixit, continetur Adae prophetia, quae uocatur, cfr. u. 3180 sqq. 1717: „uel ‘ob hanc rem’ dicit demonstrando uxorem, id est: propter hanc mulierem relinquet &c“, PC. 1723 „ob coniugium“ etiam signi-

ficari potest, cum dicitur „ob hanc rem“; et ita „ob coniugium“ — „ut coniugem ducat“. 1724 nullus, sc. filius. 1725 uel, sc. nulla filia. „Hic duae personae, in lege uero decem, in euangeliō plures personae amouentur a coniugio“ PC. 1727 opus carnale, sc. generationis, in quo unientur ambo. 1735 dicentes = ut dicant.

1737—42 PC 2, 18, d. — 1740: somno uacanti — Adae, qui somno tum uacabat, i. e. deditus erat. 1742: sanguine lateris (= s. de latere effluente) Christi, dum in cruce sopitus pendebat.

1743—51 PL 2, 18, b. — 1752—55 PL 2, 18, c. — 1756—71 \* PL 2, 18, h; PC cap. 17. — 1756: Ex anima, sc. Adae. 1757 animam, sc. Euae. — 1772—79 PL 2, 17, e; sed Andreas hanc rem copiosius persequitur. 1774 natura, sc. excellentior.

1780—1800 PC cap. 18. 1783 nomen „uirago“, quod per syncopen media littera a priuatum fit „uirgo“. 1787: nominis, quod est „mulier“, etymologiam hanc Isidorus (Orig. 11, 2) habet: „mulier a mollitie tamquam mollier, detracta littera uel mutata, appellata est“; cfr. Lactant. de opificio dei 12, 17, qui ostendit Varronem hanc etymologiam finxisse. 1795 post culpam demum, cum Paradiso eiceretur, cfr. u. 2322 sqq. — 1801—12 PL 2, 20, a; PC cap. 20. 1803: ut manus sine pudore nuda erat, sic et genitalia sine pudore nuda erant.

## LIB. IV.

Praefatio 1813—21. Quomodo creationis historia allegorice, \* spiritualiter, moraliter intellegenda sit (1822—2088). De hominis temptatione et lapsu, de poenis serpenti et hominibus inflictis et ejectione de Paradiso, et de interiori horum omnium intellectu (2089—2397).

1813—21. Similia habet PC in prologo historiae scholasticae: „Sacram scripturam (Dominus) habet pro cenaculo, in qua sic suos inebriat, ut sobrios reddat.. Cenaculi huius tres sunt partes: fundamentum, paries, tectum. Historia fundamentum est; .. allegoria paries superinnitens, quae per factum aliud factum figurat; tropologia dogma culmini (? pro culmine?) superpositum, quae per id, quod factum est, quid nobis faciendum sit, insinuat.“ Cfr. etiam H praenot. elucid. cap. 3; Gregorii libr. Moral. epist. praef. cap. 3; lib. VI cap. 1; homil. in euang. 40 cap. 1, al. — 1814. „allegoriae“ nomen hic positum complectitur et allegoriam, quae proprie uocatur, et intellectum spiritualem, qui u. 1816 ab allegoria propria discernitur et suas per se partes accipit.

1822—2088. Quo auctore in his exponendis (— ut in similibus, quae per reliquam huius libri partem dispersa inueniun-

- tur —) Andreas usus sit, certo dicere non possum. In libro datico Lundensi (cfr. Libri memoriales capituli Lundensis, quos edidit C. Weeke Hauniae 1884—89) p. 145 inter eos libros, quos Andreas moriens bibliothecae capituli Lundensis dedit, nominatur quidam, qui inscribitur „Allegoriae et moralitates super Vetus et Nouum Testamentum in uno uolumine“; eo igitur in his usum esse Andream appareat, sed nec, quis hunc librum scripserit, indicatur, nec, quo postea peruerterit, scimus.
- \* Apud Mignium Patrologiae Lat. uol. 211 p. 781 (in Notitia, quae Petri Pictaviensis libris sententiarum praemittitur) hic Petrus librum Allegoriarum super V. et N. T. composuisse dicitur, cuius codex manuscriptus in bibliotheca Claraeueallis extet; et cum Andreas in Academia Parisiensi Petrum magistrum habuerit, suspicari fortasse licet librum Andreae supra commemoratum libri Petri exemplar fuisse; sed Petri librum numquam editum esse puto. Multa autem similia apud Isidorum in huius „commentariis in Genesim“ capp. 1—5 et „allegoriis sacrae scripturae“, item apud Hugonem de S. Victore in „allegoriis ueteris testamenti“ (lib. I, capp. 1—9) repperi; et si quaedam propria habet Andreas (uelut ea, quae u. 2003 sqq. leguntur), fieri sane potest, ut haec de suo protulerit; nam in huius generis explicationibus omnes suo ingenio indulgere solebant. Ceterum ex Augustini scriptis pleraque allegoriae petitiae esse uidentur, praecipue quidem ex duobus libris de Genesi contra Manichaeos; uelut ad u. 1918 sqq., ubi de fluminibus Paradisi agitur, conferri possunt huius operis lib. II capp. 10 (14) sqq. —

1827: quilibet homo, qui uirtute caret, uacuus et inanis est, cum non ferat fructus bonorum operum ex uirtute produdentium. 1830 illud, i. e. cor hominis. 1836 sq.: „sicut enim lux primaria sole fuit tempore prior et tamen minor claritate, sic lex gratiâ, Ioannes Christo, gratia gloriâ priora dignoscuntur ordine et longe tamen inferiora perfectione“, H. 1838 sancti — saluandi. 1845 immensus (cfr. symb. Athan.), ut augeri non possit; nec magis minui potest. 1859 sqq.: „Boni laudes diuinas modulatis uocibus cantant; mali, in quorum ore non est speciosa laus (lib. Ecclesiastici 15, 9), conticescunt“, H. 1867: „sine macula fuit corpus Adae, sumptum de terra; et immaculatum corpus Christi, animatum de Maria“, H. 1874 moraliter — secundum intellectum moralem. 1875 supereuolat — sublimis est. 1876 cum terra = ut terra. utrumque, et spiritum et caelum, subiecto suo (i. e. carne et terra) leuius est. 1878 sqq.: „mundus in prima confusione est homo in iniquitate sua; sicut enim mundo primordiali confuso non inerat lux aut futurus ordo, sic homini subiecto iniquitati nec lux lucet per cognitionem ueritatis, nec ordo inest per dispositionem aequitatis“, H. 1881: „Et Deus quasi in media confusione lucem primariam creat, quando peccatorem diuersis sceleribus confusum lucis intimae radiis illustrat, ut quid esse debeat agnoscat, et ad

notitiam recte uiuendi semetipsum disponat“, H. 1889 sq.: „Congregatio aquarum cohibitionem exprimit uitiorum; uitia namque, quia penitus in praesenti uita.. eliminari non possunt propter eorum fomites nobis originaliter insitos, debent coarctari, quantum per diuinam gratiam possibile est, ne per totum effluant &c“, H. 1895 membra, sc. corporis Christi, homines fideles. 1897 cognita — res, quae cognoscuntur; quae sunt tres, scilicet caput (Christus), corpus (ecclesia), membra (fideles). „Potest sol significare cognitionem eorum, quae pertinent ad diuinam naturam; luna cognitionem eorum, quae pertinent ad sanctam ecclesiam, stellae autem cognitionem eorum, quae pertinent ad unamquamque fidelem animam“, H. 1899: „Pisces, qui laborant in imo, id est in aquis, sollicitudinem bonae actionis designant, quae uitae labentis (laborantis?) fluctibus agitatur“, H. 1914 „Fons, qui est in Paradiso, Christum significat; fons namque sapientiae Verbum diuinum, id est Filius Dei“, H. 1920 uirtutes quatuor, quae cardinales uocantur, sc. prudentia, tempestantia, fortitudo, iustitia. 1938 sq. temperet.. toleret, sc. anima. 1942 „Lignum uitae Christum significat..; si enim ipso uestimur, uitam aeternam habebimus (Ioann. 6, 52)“, H. 1943 sed (eo ligno), quo &c. 1954 sqq.: de his praecipue commentarii Isidori conferendi sunt; etiam H pluribus locis similia habet. 1975 gentis iniquae — gentilium populorum. 2003 Isid. Orig. VII, 10: „Maria illuminatrix siue stella maris ; genuit enim lumen mundi.“ 2011 Solem iustitiae, cfr. Malach. 4, 2. 2012 euentu — uisibili apparitione, ut opinor. 2016 proprie dicendum erat: quo Christus amicos (i. e. duodecim discipulos) elegit, quorum quidam erant pisces &c. 2024: nam gratiae tempus hoc uitae praesentis tempus uocatur, gloriae tempus saeculum futurum. 2026 sqq.: de his quoque conferatur Isidorus, uelut hic statim: „per uirgultum agri inuisibilem creaturam demonstrat intelligi, sicut est anima; dictum autem est uirgultum propter uigorem uitae, herba propter eandem uitam nunquam marcescentem. Deinde quod addidit: „antequam esset super terram“, intelligitur: „antequam peccaret“; terrenis enim cupiditatibus sordidata tamquam super terram nata uel super terram esse recte dicitur“, &c. 2042: in Paradisum detulit illum: „ut operaretur et custodiret illum, id est, ut uoluntate Patris ex omnibus gentibus ecclesiam adimpleret atque impleretur sermo, quem Dominus dixit: Ego seruabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi, custodiui“. 2046: „Arguuntur haeretici, qui Christum solum hominem putant et non etiam Deum.“ 2049 sqq.: Adducta quaevis (= omnia) animalia, ut quodlibet (= quodque animal) acciperet ab Adam nomen sibi aptum, significant gentes omnes ad Christum per fidem uocandas &c. 2056: de vulnere, quod Christi in cruce dormientis lateri tenso (= extento) infixum est, fluxerunt s. et u., sacramenta, quorum fide formatur uxor eius, ecclesia (, sicut Eua uxor ex costa Adae dormientis lateri subtracta formata est). 2066:

qui non nisi Patri (= nemini alii nisi Patri) ante comparuerat, cui semper maiestate compar fuit. 2071: „quia, siue sancti spirituales et fortissimi in temptationibus siue minus perfecti, utrique unum corpus Christi sunt et una ecclesia“, Isidorus. 2077 In nobis Christus mandatum cepit: Isidorus hic dicit: „Iam dehinc praeceptum, quod accepit figuraliter Christus, nos accipimus in illo, quia unusquisque Christianus non incongrue gestat personam Christi, dicente ipso Domino: „Quod fecistis &c. (Matth. 25, 40)“; quae uerba sumpsit ex libro Augustini de Genesi contra Manich. II, 24 sq.; sed Aug. hic illud praeceptum respicit, quod continetur uerbis illis: „ut operaretur et custodiret“. Ergo subobscura Andreae uerba „in nobis Christus“ hoc significare uidentur: „Nos, quantum Christus in nobis est, quantum Christiani fideles sumus, hoc mandatum (typice) accepimus“. 2081 sqq. cfr. Galat. 5, 22 sq.; pietas = bonitas, benignitas; rigor = animi firmitas, patientia. 2085 arbitrii medii, quod per se nec bonum nec malum est et in utramque partem flecti potest; „ne uelimus superbire de natura arbitrii nostri, quae media est, ut decepti (sc. culpâ tumoris) post scientiam boni experiamur et malum“ (sc. in poena, poenae loco). Haec quoque uerba Isidorus ex Augustini l. l. sumpsit; sed Augustinus ipse in eiusdem libri cap. 9 „mediam“ hominis naturam aliter explicauit.

2089—2397. PL. 2, 21, a—d; 2, 22, a—f; 2, 20, a; 2, 29, c—e; 2, 19, c. PC cap. 21—24; H Adnot. elucidatoriae in Genesim. De allegoriis conferatur Isidorus et, quod ad u. 2195—2207 attinet, etiam H in allegoriis VT.

2089. Et natura serpens uafer erat et tum magis etiam casu, quia tum Satanas eum impleuerat. 2098 quo = quocumque. 2099 sqq.: „Elegit etiam quoddam genus serpentis, ut ait Beda, uirgineum uultum habens, quia similia similibus applaudunt, et mouit ad loquendum linguam eius, tamen nescientis, sicut et per fanaticos et energumenos loquitur nescientes“, PC. 2108 et sic euenerat, ut uoluerat. 2111 dubiam: scilicet quia dixerat: „ne forte moriamur“; sed infra u. 4453 sqq. Andreas aliter de hac re iudicat nec sibi consentit. 2121 uerbis urgentibus; PC rectius: „forte praemonens uerbis persuasilibus, quae transiit legislator (Moyses) breuitatis causa“. 2124 ad terrorem = tantum ad t. 2131: uerum fuit unus (oculus) carnis motus spiritui contrarius, alter (oculus fuit) eius (motus) cognitionis; et hi sunt oculi, qui aperti esse dicuntur; cfr. PC: „oculos eorum dicimus concupiscentiam et cognitionem eius &c“. 2145: Rationis tamen, quam impugnant, imperio iure subessent, si... 2150 porta propaginis = membra genitalia uiri et feminae. 2156: oculis offensis eo, quod pudenda uidebant. 2162: unde quidam arborem uetitam (scientiae boni et mali) ficum fuisse putarunt; sic dixit Isidorus Pelusiota epist. I, 51. 2170 cfr. u. 1665. 2175 sq.: ut culpa, quam meruerat (= contraxerat), ipsi manifesta fieret per ruinam, quae insecuta est. 2181 et (qui) sine

liuore &c. 2199 uterque, et spiritus et corpus. 2200 culpae.. uterque: „quia et anima affligitur per malam conscientiam, et (caro) punitur per poenam“, H. 2207 sqq.: „Mulier comedit antea quam uir, ideo quia facilius carnales persuadentur ad peccatum, nec tam uelociter spirituales decipiuntur. ‘Et dedit uiro suo, et comedit’: utique quia post delectationem carnalis concupiscentiae nostrae etiam nostra ratio subiicitur ad peccandum.“ Isidorus; cfr. etiam PL 2, 24, g–i. 2212 letum reatus = culpam mortalem. 2214 sqq.: foliis fici se contegit omnis, qui uerbis m. uititur, ut se excuset. 2216 sqq. Isidorus: „Deambulat Deus in illis, et non stat, qui stabiles in eius praecepto non perseverant. Et bene: „ad auram post meridiem“, quia iam ab eis aufertur lux illa feruentior ueritatis, appropinquabitibus errorum tenebris.“ (Andreas igitur hic paulo aliter.) 2220 sqq. Isidorus: „Lignum scientiae boni et mali proprium est uoluntatis arbitrium, quod in medio nostri est positum, ad dignoscendum bonum uel malum“; idem hoc loco: „in medio ligni se abscondit, qui auersus a praecepto creatoris in erroris atque arbitrii sui uoluptatibus uiuit“; sed Strabonem potius sequendum iudicauit. 2222 „arbitrium omnibus commune“ idem esse uidetur quod „arbitrium medium“ u. 2085. 2231 uocauit, sc. ad se.

2234 cui, i. e. Satanae; „non enim serpens, sed qui in serpente latebat diabolus maledicitur“, H. Adnot. elucid. quamuis in serpente, i. e. quamuis ad serpentem, non ad ipsum Satanam, uerba direxerit. 2240 patet = uisibiliter appareat, scilicet colubrum pectore et alio ad hominem repere, ut ei noceat. hostem h. g. = Satanam. 2241 pectore = in pectore; Isidorus: „nomine pectoris significatur superbia mentis, nomine autem uentris significantur desideria carnis; his enim duabus rebus serpit diabolus ad eos, quos uult decipere, id est aut terrena cupiditate et luxuria aut superbiae insana ruina.“ 2243 mollior, i. e. mollior pars ceteris, mollissimum. 2251 sq. usque .. potestas, i. e. usque ad illam ultimam poenam supremi iudicii; tunc fraus, quo pascitur, sistetur, et sic pastu erepto morte aeterna morietur. 2256 plantisque, sc. hominis. 2258 imas partes, sc. hominis, i. e. plantas uel calcem. 2264 „sputum hominis ieconi perimit serpentem“ PC. 2265 sq.: idem habet PC, a quo sumpsit Andreas; ceterum idem dicitur in Bestiario (uel Physiologo), cfr. Hugonis uol. II p. 445 b. 2269 fraudis origo = principium fraudis iniquae u. 2276. 2272: inimicitiae ideo factae esse dicuntur ad ipsam (Euam, carnem), non ad uirum (spiritum), ut significetur (carnem prius temptari et corrumpi, deinde) carnem spiritui causam ruinae esse. 2274 semen, sc. mulieris, quod, ut Isidorus dicit, „fructus est boni operis, quo peruersae suggestioni resistitur“. 2277 uictus S., a Christo, uel ab homine fraudem eius statim a principio repellente. 2280 media = medio loco, et tempore et numero peccatorum. 2282: immo (ex) timore et ex necessaria, quam accepit, condicione, ut

omnem uim sufferret, quam uir ei inferret. 2288 sq. PC: „quod dictum est ei ‘in dolore’, maledictio est, sed ‘paries’ benedictio est; maledicta enim est sterilis; et ita in puniendo non est oblitus misereri Deus.“ 2294 tristibus — per aerumnas et labores. Isidorus: „uoluntas carnalis, cum aliquam malam consuetudinem uult uincere, patitur in exordio labores, atque ita per meliorem consuetudinem parit bonum opus quasi filios. Quod uero adiecit: ‘et conuersio tua ad uirum tuum, et ipse dominabitur tibi’, hoc significat, quod illa carnalis uoluntas, quae cum dolore luctauerat, ut faceret consuetudinem bonam, iam ipsis erudita laboribus cautior fit et, ne corruat, obtemperat rationi et libenter seruit quasi uiro iubenti.“ — 2298 in fructu: „in labore quaerendi sibi edulii“ PC. 2300 merito reatus = reatus causā, propter peccatum, cfr. 2308. 2305: spina quidem iam ante peccatum fuerat, sed post peccatum demum facta est nocua. 2307 sq. cfr. 747. 2311 non carnis: „non legitur comedisse carnem uiuentium de terra maledicta“ PC. 2313 pro robore legis — ut lex firmiter seruaretur; „pro praecepto legis“ PC. 2314 Arguitur = accusatur et uituperatur, ni fallor. Isidorus: „per sententiam, quae in uirum refertur, ratio nostra arguitur: quae et super (?) peccati concupiscentia seducta et a paradiso beatitudinis remota habet maledictiones terrena operationis, habet et dolores temporalium curarum quasi spinas et tribulos.“ 2317 immo (ut) bonorum e. f. op. 2323: signanter, i. e. typice, adaptans (hoc nomen) ei, quae mater... futura erat; typus deinde explicatur u. 2325 sqq. 2326: cum, quamuis hoc per luctum fiat (quia per aerumnas et labores, cfr. u. 2290 sqq.), prauam uicerit consuetudinem peccandi. 2329 „mater uiuorum uocatur dehinc, id est recte factorum; quibus contraria sunt peccata, quae nomine mortuorum significantur.“ Isidorus.

2330 mortalis corporis = „mortalitatis sua“ PC; „mortali tatis corporis“ I. 2331 pelliceis = ex pellibus mortuorum animalium factis. 2334 Ironice: „Ironia est, quasi ‘uoluit esse ut Deus, sed in euidenti est modo, quod non est’; nec est uox Dei insultantis, sed uox a superbia corridentis“ PC; item H: „Irrisio est, quae respicit ad stultam credulitatem eius de uerbis serpentis: Eritis sicut dii &c“. 2340 sqq.: quasi diceret: „ita est factus a me, ut esset unus ex nobis, si non t. i. fuisse, dono (i. e. gratia nostra), non natura, deus futurus.“ 2344 uelut autumat ipse: cfr. PC in nota cap. 24: „Quod dictum est ‘uiuat in aeternum’, ad opinionem hominis trahendum est, quasi diceret: ‘et comedat hac opinione, ut uiuat in aeternum’; uel ‘aeternum’ accipitur pro multo tempore.“ Ceterum uerba Genesis haec tantum sunt: „At nunc... in aeternum“; reliqua addita sunt ex eorum interpretatione, qui electionem de Paradiso nouam poenam esse putabant. 2348 „Vel“ subobscurum est, sed loci sententia haec esse uidetur: Haec electio hominis de paradi so uel noua poena esse putari potest ceteris adiecta (— sicut u. 2344—47 significatum est —), uel beneficium e

contrario reputari potest (— sicut u. 2348—63 demonstratur —); cfr. PC et PP p. 965 cum notis. 2348 sqq. uel . . . remansit . . ., uerum . . . Deus curauit = uel, quia ligno uitae haec uis remanebat . . ., Deus curauit. 2349 firmandi uitam . . edentis, ita ut homo, si inde perseverasset edere, re uera, non modo ut ipse putabat, in aeternum uicturus fuerit, et quidem in aeterna miseria. 2350—55. Quae de hac insula et de hac arbore fabulosa narrantur, Andreas a PC sumpsit, qui dicit: „nec est mirum, si etiam post peccatum per esum ligni illius diutius uixissent, cum adhuc sint quedam insulae uiuentium, in quibus nullus moritur; sic etiam lanugo fit in foliis arborum apud Seres, cuius esu uita protelatur; etiam Alexander scripsit Aristoteli de sacerdotibus arborum solis et lunae, quod esu pomorum longissimam agant uitam.“ Unde PC haec acceperit, nescio, nisi quod ea, quae de insula dicuntur, oriri potuerunt ex iis, quae de terra Hyperboreorum narrantur, cfr. Plin. h. n. IV, 89; Pomp. Mel. 3, 5; de arboribus solis et lunae in epistula Alexandri non ea narrantur, quae dicit PC. Ceterum cum his aliquatenus comparari possunt ea, quae in libro Islandico, qui „Speculum regale“ inscribitur, cap. 10 leguntur. 2352 se faciat \* efferri = sibi ipse mortem consciscat, ut puto. 2356 cfr. Habacuc 3, 2. 2371 ignis . . angelus: „quia et homo et diabolus in paradiſo peccauerant, uterque electus est; et ne alterutri eorum iterum liceret intrare, contra utrumque posita est custodia, Cherubin ut repellat diabolum, ignis ut hominem.“ H. 2373 impleuit, quod — ministerio suo effecit, ut. 2374 sqq. „uersatilis dicitur, id est utrobique secantis, quia poena fuit homini in utraque parte sui puniri, in anima scilicet et in corpore; uel dictus est uersatilis, id est aptus ad uersandum, id est tollendum, cum Deus uellet; ablatus enim fuit ad tempus intrantibus Helia et Enoch; penitus uero non, donec in morte Christi fuit extinctus.“ PC. 2382 „illum“ refertur ad „si quis“ (= quisquis) u. 2385: quisquis percipiet aeternam uitam, et poenas tolerare et duplici amore potiri debet. 2584 duplici amore, i. e. amore Dei et amore proximi, cfr. u. 3524. Isidorus: „per flammeam frameam, id est per temporales tribulationes peccata sua agnosendo et gemendo, et per Cherubim, id est per plenitudinem scientiae, quod est per caritatem Dei et proximi, perueniet ad arborem uitae Christum et uiuet in aeternum.“ 2394 aspera uestis, i. e. cilicium (Haarskjorte). 2396 super illam, i. e. super terram. Ad 2391 sqq. cfr. PC cap. 24 in nota: „Ejectionem primorum parentum repraesentat ecclesia in capite (i. e. initio) ieunii, cum eiicit ex se paenitentes: cilicium dat in signum tunicarum pellicearum; cinerem sub his uerbis: „cinis es &c“; et in memoriam maledictionis electi ardentes candelas ferunt, quia pro opere, quo porrixerunt manus ad pomum uetitum, apposita est ignea romphaea paradiso; transeunt quoque ad aliam ecclesiam, et clauduntur coram eis fores in signum paradisi quodammodo occlusi; non ad mensam,

sed super terram comedunt, quia legitur: „maledicta terra in opere tuo“; nemo dicit eis Ave, quia nondum mutatum erat nomen Euae, quod in salutatione Beatae Virginis Mariae factum est.“

---

## LIB. V.

De tribus statibus Adae breuiter exponitur (— 2412), tum pluribus modis quaeritur, qualis fuerit in primo statu (— 2549). Deinde ostenditur, initio omnia omnibus fuisse communia, et quaeritur, quomodo res factae sint propriae (— 2592); hinc transitus fit ad decalogum tractandum et singula eius pracepta interius explicanda (— 3169).

2398—412: de tribus statibus Adae; cfr. PL 2, 19, a; 25, h; 29, b; PP p. 960, 966; sed Andreas status aliter distinguit. — 2398 primus, sc. status; sed hoc dictum est pro eo q. e.: in primo statu Adam . . recepit. 2402 adactus, sc. eo, quod dona gratiae, quae sunt uirtutes, insuper ei data sunt. 2404 post spiritualis, sc. homo erat. 2405 sq., cfr. supra 355 sqq.; PL 2, 2, g; 3, f. 2407 formam, qua similis fuit — similitudinem Dei; cfr. 779 sqq. 2409 uerbis simul exprimat auctor — uno eodemque tenore dicat Moyses, apud quem legitur (Gen. I, 26): „faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram“, quasi simul factum sit utrumque. Ob hoc ipsum, opinor, PL et PP (itemque Hugo, ut in libri de sacramentis I part. 6 cap. 10) hanc statuum distinctionem non habent, quam Andreas propter glossam Strabonis in scholiis allatam probasse uidetur, ita tamen, ut rem non satis clare explicet; melius illi statum innocentiae, statum culpae, statum resurrectionis inter se distinguunt.

2413—65: quaeritur, num in primo statu homo ope diuina eguerit, et exponuntur tres de hac re sententiae. Quarum prima, quae u. 2413—29 tractatur, ab iis profiscens, quae primis quinque uersibus proponuntur, diuina ope semper eguisse hominem affirmat, ut contra temptationem stare posset; altera deinde, quam u. 2430—51 scriptor exponit, a principio paullulum mutato profecta, sicut u. 2430—32 declaratur, hominem non statim ab initio auxilio Dei eguisse dicit, sed tum demum egere coepisse, cum dona gratiae ei data essent; has duas sententias inter se conciliare studuit Augustinus, ut u. 2452—54 dicitur. Tertia denique sententia, quae u. 2455—61 profertur, hominem ut non ad standum, ita ad beatam uitam merendam semper ope diuina eguisse profitetur. Deinde ostenditur hoc auxilium diuinum, de quo in praecedentibus dictum sit, libertatem arbitrii non esse, ut quidam putabant (u. 2462—65). Cfr. PL 2, 24,

a—d; 29, a. b; sed Andreas ob diuersam statuum distinctionem rem aliter tractat, et subtilius et obscurius. — 2413 quo staret — sed quo staret. 2414 solis n. donis — ex solis n. donis, uel: solis n. donis praeditus. 2415 Sed: praecedentia omnes probant, sed hinc in diuersas partes abeunt, cum prima sententia hoc contendat: „semper (i. e. statim a primo initio) oportuisse, ut hominem, si temptatus esset, aut uirtus sequeretur (i. e. ei tribueretur), si temptationi consentire nollet, aut menda peccatum, si temptationi male cederet.“ 2418 Sic — propter haec, quae modo dicta sunt, uel: ex hac sententia. Andreas (uel illi, quorum sententiam hic exponit) ita, ni fallor, ratiocinatur: semper oportuit, ut homo temptatus aut resisteret et per hoc uirtutes acciperet, aut cederet et reus fieret; sed uirtutes accipere idem est quod proficere; dictum autem est, hominem in primo statu, qualis esset creatus, nihil habuisse, quo per se proficere posset; ergo temptatus semper, etiam in primo statu, ope diuina eguit, quo proficere et uirtutes accipere posset nec cadere. 2419 quamuis . . nitescant. sicut dona naturalia in homine statim creato nitescunt. 2420 sine luce, quae in hac imagine eandem uim habet, quam auxilium diuinum in re ipsa, quae per imaginem designatur. 2421 nequeuntque — et tamen nequeunt. 2425 quales . . sunt, — quae idem animae faciunt, quod uires corpori. — 2430 sqq. Altera sententia a superiore discedens contendit, illud quidem necessarium fuisse, ut culpa inde ueniret, si homo temptationi succumberet, non autem, ut uirtus inde ei tribueretur, si temptationi resisteret; et huius rei causam esse, quod, cum caro hominis nondum peccato corrupta esset, nulladum in ea fuerit causa impulsuia (i. e. ad peccandum impellens), ita ut et per se facile resistere posset nec resistendo quicquam mereretur. Hic parenthetice interponitur illa obseruatio, quae u. 2433—39 continetur, a re, quae cummaxime tractatur, paullo remotior; qua dicitur, hominem hinc (i. e. ob eandem causam, scilicet, quod nulladum in carne eius causa impulsuia esset) in primo illo statu innocentiae omnino non potuisse peccare uenialiter, sed tantum mortaliter, sicut re uera factum est, cum laberetur; aut, si uenialiter peccare tum potuerit, hoc ea tantum ratione fieri potuisse, quae uerbis: „non temptatus . . cohibens“ describitur. His interpositis in u. 2440 ad propositionem reddit scriptor et sententiam supra u. 2430 sq. adlatam probat; dicit enim hoc: (In homine, qualis in primo erat statu, nulla fuit causa impulsuia, quae temptationum ad peccandum impellere posset, ideoque ne mereri quidem, ut uirtutes acciperet, tum potuit; hoc inde intellegitur, quod) in Christo similiter a natura instructo tamen causa impulsuia fuit, esuries scilicet (quamuis haec eum pulsare tantum, non uincere potuerit), eamque ipsam ob causam tum, cum temptaretur, resistendo meruit. (2441 merenti — ita ut ob hanc ipsam causam mereretur). Deinde u. 2443 sqq. ea exponit, quae ex sententia adlata efficiuntur. 2443 Sic — propter ea, quae u. 2430 sqq.

dicta sunt. ope d. n. i. probatur, scilicet in primo statu. 2444 donec . . darentur, i. e. ante statum secundum; nam hoc in secundo statu factum est, qui ob id infra u. 2448 „status uirtutum“ uocatur. 2445 hinc = ob hoc ipsum, quia iam Deus ei auxilium gratuitum attulerat uirtutum, quo in posterum carere non poterat (comma post „hinc“ delendum est). Ante „hinc“ particula „sed“ uel „et“ cogitatione supplenda est. 2446 sqq. tamen . . auctus: quoniam dona naturae, quae initio acceperat, incorrupta manebant (cfr. u. 2402), etsi uirtutes accesserant, eandemque quam antea uim seruabant, ut deinde exponitur. Ceterum haec sane subtilia et subobscura sunt. 2450 debitor, sc. uirtutis habendae, ut u. 2538 dicitur. 2452 sqq. Augustinus igitur duas sententias ita conciliasse uidetur, ut ex altera sententia illud resecaret, quod ultimo loco (sc. 2448 sqq.) dictum est, scilicet hominem etiam post uirtutes acceptas solis naturae donis reatum uitare potuisse. 2454 utrimque = ex utraque sententia. — 2457 „uel“ hoc loco (ut iam saepius apud poëtas argenteae aetatis) metri causa pro „et“ positum esse uidetur; nam propter sequentia haec uerborum sententia esse debet: „et, licet ei ad standum non prorsus necessarium fuerit, tamen etiam ad hoc semper ei utile fuit.“ 2462 sqq.: haec contra quos disputet Andreas, nescio; PL quidem (2, 24, d; cfr. PP p. 971 ima) liberum arbitrium dicunt fuisse adiutorium diuinum in creatione homini datum, quo stare posset, sed non proficere; ergo hi sane non ab Andrea dissentire uidentur.

2466—81: ostenditur, in primo statu hominem caritatem Dei habuisse, sed naturalem tantum, non caritatem uirtutem. Cfr. PL 2, 29, b et PP p. 970 sq., sed alio modo hi disputant. 2466 factus ad hoc, ut diligeret: cfr. u. 260 sq. 2468 meritis ingratus, i. e. ingratus aduersus beneficia Dei. 2470 omnibus his, qui dilexere, i. e. martyribus et sanctis. 2471 sine uirtutibus — quamuis in primo statu nondum uirtutes haberet. 2473 „quorum“ refertur ad „omnibus his“ in u. 2470. 2477: quia per hanc caritatem non ad ipsum Deum tendere sibi proposuit, qui uirtutis caritatis summus finis est; ceterum uid. schol. 2479 sqq. cfr. infra u. 3355 sqq.

2482—500: quaeritur, num in primo statu homo aeternam uitam mereri potuerit; et negatur, cum ad hoc uirtutibus opus sit. Cfr. PP p. 971. 2493: nec in peccatis Satanae nec in uirtutibus Deo homo in primo statu seruiuit. 2496: siquidem hoc ipsum „seruire“ necessario requirit, ut seruus aut mereatur aut demereatur, illud uirtute, hoc peccando.

2501—30: ostenditur, hominem in primo statu fortasse mori non potuisse, certe nullum dolorem pati nec famem nec ullo modo laedi. Cfr. PL 2, 19, a—f; 20, c, g; PP p. 960—61; 965—66. — 2501 reperitur, sc. in scripturis sacris. 2503 uel tunc . . non potuit = aut, si quid de hac re dicendum est, homo tunc omnino non potuit mori. 2508 vindicta Dei, quae eius-

modi afferret dolorem. 2513 solui, sc. a corpore. 2514 sqq.: haec pertinent ad quaestionem de procreatione liberorum in illo hominis statu; quam breuiter hic tangit Andreas, copiosius uero tractat PL 2, 20, a. 2517: sic ferrum solum et purum adamanta laedere nequit, sed hanc uim hircinus uel menstruus sanguis habet, quamuis mollior sit ferro. De hac uir sanguinis hircini dixit Plin. h. n. XXXVII § 59 et post eum multi alii, uelut etiam Hugo in libri de bestiis II cap. 34; de menstruo sanguine nihil iidem simile narrant, sed mirificos eius effectus describit Plinius VII, 63 sqq.; XXVIII, 77 sqq., itemque Hugo l. l. III, 60. — 2521 quando . . . expers — praetereaque, etiamsi quando escas appeteret, tamen ex hoc appetitu nullam poenam (i. e. nullum famis cruciatum) sentiret. 2525 inde, i. e. ex hoc desiderio; cfr. u. 7780 sqq.; 8034. 2526 non imm. ed. aff. fieret — omnino fames in eo non oreretur, ut inde aliquem cruciatum sentiret. 2530: et sic ita tantum famis tormentum sentiret, si antea culpam non edendo commisisset.

2531—39: quaeritur, num in primo statu homo ad uirtutes habendas cogi potuerit; idque negatur et ad alterum modo statum pertinere dicitur. 2531 qui semel optimuit uirtutes, i. e. homo, cum ad alterum statum peruenit. 2532 ipsis naturae donis: quoniam haec non iam homini ad standum sufficient, postquam uirtutes accepit; cfr. ea, quae supra u. 2445—54 disputata sunt. 2533 tamen — autem, sed, uid. Index. 2534 quando . . . odorem, i. e. in primo statu. 2537 si — sed si. 2538 fieret uirtutis habendae debitor, i. e. necessario cogeretur uirtutes habere.

2540—49: quaeritur, num in primo statu homo fortior fuerit quam is, qui nunc uirtutes habeat, et uter plus peccaret, si eidem temptationi succumberent; cfr. PP p. 971. — 2540 habens — homo, qui habet. 2541 uitans — ita ut uitare possit. 2544 plus infinito — infinito plus. isti, sc. qui uirtutes hodie habet; idem u. 2547 pronomine „hic“ significatur. 2545 gratuitis donis, i. e. uirtutibus datis. 2548 sqq.: Andreas ad utramque interrogationem affirmando respondet. hinc . . . tenetur — itaque is, qui plus accipit, culpas magis uitare debet. Cfr. Luc. 12, 48. —

2550 sqq. Peractis iam illis, quae de primo (et altero) statu quaerenda erant, scriptor ad eas quaestiones transit tractandas, quae ad tertium statum hominis pertinent; et primum quidem per reliquam huius libri partem de decalogo agit, nec immerito, quoniam lex inter ea, quae hunc statum spectant, praecipuum quandam locum obtinet. Quaerendum igitur hic primum erat de legis origine; eamque quaestionem ita instituit scriptor, ut quaerere incipiat, quomodo factum sit, ut, cum ante lapsum hominis omnia communia fuissent, postea res propriae fierent. Hanc rationem ideo, ni fallor, sequendam sibi putauit, quod praecipuum legis officium esse appareret, ut suum cuique reddere homines doceat.

2550—92 initialis haec, ut ita dicam, quaestio absoluatur; apud PL et ceteros nihil simile reperitur. — 2553 de iure — Deo probante; idem significat „iuste“ u. 2554. 2559 uetus — si transire uetaretur. 2560 et sic diuina ultio, sine qua poena cogitari nequit, praecedenter culpam, cum sine culpa homo hoc, quod dictum est, fecisset; sed hoc impossibile est, cfr. u. 2506 sqq. 2561 sic.. ut — eodem iure.. quo. 2562: sed cum neuter eorum potius quam alter agrum sibi appropriare posset, nec tamen uterque simul hoc facere posset, constat, neutrum sibi eum appropriare potuisse. 2564: Putemus, hominem primo peccasse &c. 2571 cum — quamuis, etiamsi; sed u. 2572 „cum“ causale est. 2574 iniusta primum — quae ab initio iniusta erat. 2582—84: haec ab Augustino petita sunt, cuius uerba (ex lib. de Genesi ad litteram IX, cap. 7) afferunt PL 2, 20, a extr. et 4, 26, b: „quod sanis est officium, aegrotis est remedium“. 2585: Sic homini ratio dictauit, ut res propriae haberentur. 2587 A simili ducas — similiter, si duxeris. 2589 ritus maris — coitum. 2590 maritum, i. e. mariti opere peracto.

2593—607: exponitur, cur, lege naturali sic orta, lex scripta addita sit. — 2593 sqq.: lex naturalis, quae de propriis habendis est, a principio in cordis codice scripta esse dicitur, quod naturalis ratio, quae cum ceteris donis naturalibus statim ab ortu homini iam in primo statu tributa est, ea est, quae hanc legem eum docuit statuitque tenendam; sed non iam in primo aut altero statu haec ratio ei dictauit, ullam rem propriam uel alienam esse, cum illo tempore, ante statum culpae, qui tertius est, omnis res communis esset; immo in tertio demum statu hoc ratio ei dictauit, ut, si quando res aliqua propria alicuius facta esset, id quod in tertio demum statu fieri potuit, tum nemo illam cuperet. 2606 sq.: (et ut) lex tabulis inscripta, cum saepius oculis carnalibus extra appareret, saepius legem intus in cordis codice scriptam ad mentem hominis perduceret.

2608—3169. De his uniuerso conferatur PL 3, dist. 9 et 37—40; PP p. 1149—62; HS tract. 4 capp. 3—6; de sacramentis lib. I part. 12 capp. 4—9. Ceterum Andreas maxime in primo et septimo mandatis tractandis multa habet, quae aut de suo adiecit aut certe ex illis auctoribus non sumpsit.

2608—722 de primo mandato agitur. 2610 cfr. Corinth. I, 8, 4: „scimus, quia nihil est idolum in mundo“; ceterum uid. Augustinus et Origenes apud PL 3, 37, b. — 2612—56: de de differentia latriae et duliae; cfr. Isidorus de offic. eccles. 1, 34; simul quaeritur, ubi utrumque cultus genus adhiberi debeat. 2619 sicut cel. missae — sicut etiam quae-dam celebratio missae mortalis culpae est, scilicet si non Deo fit. 2620: nomen „Apella“ ex peruersissima etymologia, quam antiqui Christiani probasse uidentur (et quam etiam schol. h. l. habet: „sine pelle“, i. e. sine praeputio; cfr. schol. in Iuuenal. sat. 14, 104), circumcisum significat. 2621 nunc foeda — cum nunc, post Christi aduentum, foeda sit. — 2624

sancto seruo, i. e. martyribus et aliis sanctis hominibus. 2627: sicut sanctus (ipse) att. u. p., cfr. 7789 sqq. 2633: aut diuina Christi natura humanam eiusdem naturam latria dignam reddere dignatur. 2638 sqq.: Angelum ad se missum Ioannes, Christum, ut putant interpretes, eum esse ratus, adorare (i. e. dulia uenerari) uolebat, sed angelus ei dixit: „Vide, ne feceris!“ His uerbis angelus non Ioannem incusabat, quod latria non usus esset, id quod inde appetet, quod Christum hominem recte dulia ueneramus; immo eum incusabat, quod debito maiorem sibi impendisset duliam, edocuitque eum non deberi sibi tantum honorem &c; cfr. Greg. homil. in Euang. 8, 2. — 2657 sqq.: hic propter ea, quae u. 2631 sqq. de dulia Christo debita dicta sunt, quaeritur, num Christus Patre minor esse credendus sit; cfr. Augustinus de uera religione cap. 16 et multis aliis locis; PL 1, 16, c—d. — 2677—716: quid pagani de dis suis sibi persuadeant. 2677 contestans = paganus, qui dicit hanc aeneam statuam Deum esse. fidi, sc. Christiano. 2687: uix est credibile (ei), cui g. f. l. 2689 cfr. Roman. 1, 23 sqq. 2690 sqq.: Sed quamuis.. queat, quidam tamen rationis luce magis illustrati, licet iis quoque haec sententia uera uideatur: „ista c. d. est“, ut putent eam sibi pro numine auxiliari posse, non ipsam credunt esse Deum &c. 2699 sqq.: Est (enim) etiam iis idololatris, qui prudentiores sunt, celebris haec uocis „Dei“ significatio, ut unum &c. 2704 ad non esse rotat = circuitu suo ad nihilum redigit. 2709 haec, i. e. sequens sententia. 2717: de imagine adhibita cfr. PL 3, 37, a: „decem praecepta, quae sunt decachordum psalterium“; et 3, 40 extr.: „Audistis decem chordas psalterii (= decem praecepta) . . , quae caritate tangendae sunt, ut uitiorum ferae occidentur“.

2723—54: De mandato secundo, ubi de iuratione concessa et uetita quaeritur. 2726 in uanum s. assumptum = quod i. u. s. assumitur. 2729 ut g. s. praejudicet = ut, quamuis generaliter non sit permissum iurare, sit tamen in certae speciei casibus, scilicet in iis, in quibus &c. 2747 fauet = apte congruit. — 2755—64: de tertio mandato. 2758 sanctificare, sc. requiem utramque, et pectoris et pacis aeternae, cfr. PL 3, 37, a: „allegorice praecipitur, ut requiem et hic a uitiis et in futuro in Dei contemplatione expectes ex spiritu sancto, id est ex caritate et dono Dei“. — 2765—71: de prima tabula uniuersae. 2768: principium gnarum, i. e. dininam Sapientiam, Filium: \* principium benignum, i. e. diuinam Bonitatem, Spiritum sanctum. 2769: ea, quae iam dicta sunt (sc. u. 2747—54 et 2755—62), ostendunt reliqua duo mandata ad reliquas duas personas spectare, scilicet mandatum secundum ad Filium, tertium uero ad Sp. s. Ceterum hanc eandem sententiam planius et melius scriptor expressit u. 2770—71: quomodo duo mandata, quae primo proxima sunt (i. e. secundum et tertium), reliquis duabus personis aptes, t. p. m.

2772—76—817: de secunda tabula in uniuersum, deinde de quarto praecepto, quod quomodo et ad patres carnales et ad patres spirituales pertineat, ostenditur. — 2780 exhibitus, sc. honor, — is qui exhibetur. excusat = culpā liberat eam uim habens, ut praeceptum impletat. 2790 „spiritualis pater“, quid hic significet, ostendit Hugo (de sacram. I, 12, 7): „Sed et de patribus spiritualibus, id est praelatis nostris, id ipsum intelligere nihil impedit; quibus obedientiam debemus, quantum nostra habet possibilitas, et auxilium, immo seruitum, quantum suppetit facultas.“ 2804 sq.: cum Deus uelit me id uelle, quod uolo (— scilicet patrem a morte liberari —), etsi ipse Deus (qui patrem mori uult) id nolit, quod ego uolo (qui patrem uiuere uolo); cfr. PL 1, 48, a, Augustini enchirid. cap. 101 afferens: „Aliquando bona uoluntate homo uult aliquid, quod Deus non uult . . ., tamquam si bonus filius patrem uelit uiuere, quem Deus bona uoluntate uult mori; et rursus fieri potest, ut hoc uelit homo mala uoluntate, quod Deus uult bona, uelut si malus filius uelit mori patrem, uelit etiam hoc Deus. Nempe ille uult, quod non uult Deus; iste uero id uult, quod uult et Deus: et tamen bonae Dei uoluntati pietas illius potius consonat, quamvis aliud uolentis, quam huius idem uolentis impietas.“

2818—33—43: de quinto et sexto mandato. 2820: cohibentur superadditione nouorum, quae per nouam legem uetustae legi accedit. 2822 cfr. epist. Ioann. I, 3, 15. 2823 Ambrosii locum, qui in libris eius de officiis esse dicitur, inuenire non potui; apud Isidorum in commentariis in Exodi cap. 29 similia leguntur haec: „non solum opere perpetrans homicidium facit, sed etiam qui incurrit in eum esurientem et nudum, qui mori possit, nisi indumentum et cibum porrigendo subuenit, et idem homicida tenebitur.“ 2825 sqq. cfr. Augustini de libero arb. 1, 4.

2844—3020: de septimo mandato, ubi de raptu, simonia, sacrilegio, usura quaeritur, denique quaedam de oblatione et confessione adduntur. — 2844 illicitum, sc. esse. 2852 delinquit — relinquat eius possessionem. 2857 deferrent — ad se auferrent. — 2860 sqq., cfr. PL 4, 25, d. f.; ceterum haec Andreas, ut scholia ostendunt, maximam partem ex iure canonico sumpsit. 2862 ei, i. e. spirituali. 2878 in uno — simul; uel: si unum ueneat. 2882: quoniam sic ipsum ius praebendae uenire iuris-  
\* consulti censem. 2890 usura realis est, quae infra u. 2942 sqq. describitur. 2891 spiritualis, sc. usura; de qua uid. schol. et in primis locus Augustini super psalm. 36 cont. 3: „Quid facio, ut sim utilis faenerator? Da modica, accipe magna; da temporalia, accipe aeterna; da terram, accipe caelum“ &c. 2905 sq.: haec ex ipso iure canonico sumpta sunt, nec ullam significationem continent eorum, quae de Absalone archiepiscopo electo narrat Saxo p. 916 ed. Mueller. 2917 cum posset, sc. fieri sine illa. 2918 in c. p. q. uersa — cum sic haec causa secunda in

causam primam (causam propter quam) mutetur. 2919: Etiamsi is, qui ad aliquod officium ecclesiasticum promotus est, non sit ipse huius criminis labe pollutus, tamen &c. 2924 expers — is, qui ipse expers est c. s. 2927 Simonis exemplo — quando fit, ut in Simone factum est. 2928 producitur, sc. in actum, non est hic intentio sola; cfr. 4769. etsi . . sequatur — etsi intentio prava postea demum sequatur, quam munus iam collatum sit. — 2933 usurpatio quamuis non sacri — usurpatio rei etiam non sacrae per se. 2935: similiter sacrilegium semper parit usurpatio rei sacrae, siue de sacro siue de non sacro loco subtracta est. — 2956 retenta — si a domino ipso retinetur. 2957 fortasse potius sic interpungendum est: utilitas usus, si res teneatur, herilis eius mercede pensatur, ita ut „herilis“ ad „utilitas“ pertineat; significat: utilitas, quam herus ex usu rei habet, si apud eum retineatur, mercede eius compensatur, quando locatur. 2966 sq. cfr. PC lib. Deuteronomii cap. 13: „non faenerabis pecuniam ad usuram nec fruges nec aliquid fratri tuo, sed alieno“. Sed quod dictum est de fratre, praeceptum est; quod de alieno, permissio est: sicut et permissio fuit, quod sequitur de libello repudii.“ 2972: (et) quamuis iussu principis hostis iuste perimatur armis. 2974 sq. cfr. PL 2, 44, c. — 2988: Verum is, qui faenore factus est possessor, non etiam dominus factus est. 2998: ne nimis audaciam scorti roboret admissa a sacerdote eius oblatio. 3010: similiter presbyter accipere debet eius confessionem. qui quaedam peccata sua reticet, quamuis sic eius confessio imperfecta sit.

3021—152: de octauo mandato, ubi de mendacio et de periurio quaeritur. — 3025 „Mendacium est falsa significatio uocis cum intentione fallendi; mentiri est contra id, quod animo sentit quis, loqui“: PL et PP ex Augustino; idem similiter tria mendacii genera esse dicunt. 3027 mentiris, „ex malignitate et animi duplicitate“. 3031 mentiris, „ex benignitate“. 3032 ens imperfectus — si etiam nunc imperfectus es. 3033 perfectus — sin iam perfectus es; et ea perfectio qualis esse debeat, u. 3034 sqq. exponitur. 3039: ex permultis donis, quae Deus tibi commisit, sic constricto (i. e. coacto et debenti) hanc uitam negligere, ut nequeas . . eandem. 3041 propter eandem, i. e. ut eam fratri serues. 3042 sqq.: Etiam eum, qui non est perfectus, si iuramento uel uoto se obligauerit nullatenus umquam mentiri, constat nullatenus . . reatus (etiam cum fratris seruandi causa mentitur). 3050 quamuis perfectus — etiamsi perfectus sis; PL aliter de hac re iudicat. 3056 nec compensatio iusta est, sc. fratri uita seruata. 3069 seruatis ante — cum illi iam seruati essent ante, quam obstetrices mentirentur, ita ut hae suae tantum uitae seruandae causa mentirentur. 3073 declinata per culpam — propter culpam non data; Gregorius ipse sic dixit: „Meres, quae eis in aeterna potuit uita retribui, pro admixta culpa mendacii in terrenam est recompensationem declinata“, aliter et rectius adhibito illo uerbo „declinata“. 3078

sqq. Andreas Gregorii et Augustini sententias inter se conciliare studet. — 3083 sq.: Illos sanctos, quos uerba mentitos esse contendunt, ueraces fuisse nec mentitos esse sensus mysticus, qui illorum uerbis inest, ostendit. 3085 principis, sc. sacerdotum, Ananiae; quem Paulus, quasi eum non agnosceret, hypocrisin eius ironice notans „parietem dealbatum“ uocauit, i. e. rem specie pretiosam, sed re uera nullius pretii, quoniam regnum eius (i. e. sacerdotium summum) re uera tantum umbra erat. 3091: magis (quam) Achab. 3094 sqq.: hanc solutionem habet etiam PP, qui „magistro suo“, i. e. Lombardo, eam tribuit; sed in eius „sententiis“ non reperitur. — 3107 sqq.: omnis homo, qui ius iurandum suum transgreditur nec obseruat, periurus dicitur, non uoce ille quidem (ut ii, qui antea commemorati sunt), quia non falsum dixit, cum iuraret, sed actu, quia non fecit id, quod iurauerat; et periurus dicitur omnis sic faciens, etiamsi non omnis reatum incurrat ius iurandum sic transgrediendo. Verba, quae deinde sequuntur („sed quando iurat iniquum“), nihil aliud significare posse uidentur nisi hoc: „sed sic demum peccat aliquis ius iurandum transgrediendo,) quando iurat iniquum (i. e. malam rem se facturum). Verum hoc prorsus contrarium uero est, ut aperte ostendit etiam PL 3, 39, h. i; coniectura tamen locus facile emendari poterit, si pro „qñ (quando)“, quod in codice est, „qñ (= qui non)“ scripserimus, tum enim hic sensus uerus efficitur: „etiamsi non omnis transgrediendo ius iurandum peccet, sed is tantum, qui rem non malam et iniustam se facturum iurando pollicitus est“; nam is sine ulla exceptione ius iurandum seruare debet ideoque transgrediendo peccat, cum e contrario is, qui malam rem et iniustam iurauit, ius iurandum transgredi debeat, ne seruando maius peccatum committat. 3111 uerum quicquam asserit esse, scilicet nunc, in praesenti tempore. 3112 aut statim periurus est, sc. si falsum iurauit, aut... 3114 promissum, ergo de re futura iurans. qui i. p. roboret, et (id), quod iurat, n. a. c. enecat — (sed) si quis i. p. roboret, et id, quod iurat, ita obseruare possit, ut seruando animam non enecet (scilicet quia rem non malam iurauit), de eo nemo ante scire potest, num peccet et periurus habendus sit, quam ipsa fiat transgressio. 3118: Quod (aliquis) iurare coactus fuerit, quantumcumque sit, id seruare debet, si sine peccato seruare possit. 3127 peccet, sc. is, qui iurauit, et quem papa soluit. 3132 sqq.: si quis, qui iurare coactus est (se aliquid facturum esse, hoc fecit et sic) promissa soluit (= impleuit), ut iuramentum suum fideliter seruaret, iuste repeteret potest ea, quae soluit; sed tamen, si hoc etiam iurauerat, se data non esse repetitur, ea non debet in iure repeteret, si modo animae salutem rebus datis praeferre uult, uerum crimen eius denuntiare debet, qui contra animae suae salutem Deique uoluntatem ea retinere ausus est, quae data sunt. 3144 iurare coactus — is, qui iurare coactus est.

3153—69: de nono et decimo mandato, et quomodo haec duo mandata a ceteris differant. — 3155 desiderii, sc. libidinosi. 3159: haec duo praecepta non eiusdem sunt generis, cuius sunt praeecedentia praecepta (scilicet sextum et septimum, quibuscum aliquid habent commune). istis, i. e. nono et decimo. 3160 illis, i. e. sexto et septimo. 3161 sqq. Vetus lex non animum sed actum cohibere dicitur, aut ideo, quod duo tantum extrema eius praecepta animum cohibent, non cetera octo, aut ideo, quod lex uetus actum solum punit, cum noua euangelii lex et actum puniat et animum, non illa quidem membrorum truncatione, ut punire solet lex uetus, sed cordis contritione et paenitentia. Cfr. PP p. 1147.

## LIB. VI

initium continet tractatus de uirtutibus. Ostenditur, uirtutes homini iam ante lapsum datas esse (3170—80); disputatur deinde de tribus uirtutibus theologicis, quae uocantur, id est de fide et spe et caritate, usque ad finem libri (— 3759).

3170—80. — 3170 sqq. cfr. 2401 sqq., ubi de secundo hominis statu agitur; de u. 3171 cfr. etiam u. 779. Sed quae-rendum hic est, si lapsus Adae omnibus uirtutibus eum prorsus priuauerit, quomodo et cur factum sit, ut uirtutes postea uel in ipso uel in posteris eius orirentur; hoc nec Andreas nec auctores eius explicauerunt. 3173 in gratuitis (sc. donis), i. e. uirtutibus. confirmandus, sc. erat. 3176 sq., cfr. 358 sqq.; PL. 2, 7, a—d; 21, e. 3178 sq.: Si Adam non peccasset, fortasse etiam omnis proles eius, quae expectabatur, simul cum ipso in uirtutibus confirmanda fuisset.

3180—434. De fide uariae quaestiones tractantur; cfr. in uniuersum PL 3, dist. 23—25; PP p. 1039—43; 1089—93; HS tract. 1 cap. 2—3.

3180—208: de fidei origine agitur, et ostenditur fidem iam in secundo statu et quidem extasis tempore Adae datam esse; duae obiectio[n]es refelluntur. 3180 sqq. cfr. u. 1704 sqq. prima gratia iustificans, i. e. prima uirtus, quae ex Andreeae sententia fides est, cfr. u. 3258. 3185 sensus, i. e. sapientiae. 3186 quando h. l. = quoniam. 3192 morte, sc. Christi. 3193 incarnandi Verbi fidei, i. e. fidei, qua incarnatio Verbi creditur. 3194 sqq. licet ex tunc . . . humani: his prima obiectio continetur ex illis uerbis Augustini ducta, quae hic significantur; nam ex illis concludi debere uidetur, fidem post lapsum demum, ergo in tertio statu, ortam esse. Sed Andreas respondet, ex illis uerbis recte intellectis hoc tantum effici, fidem post lapsum demum ad peccata tollenda ualuisse, non effici, eam non iam ante homini datam esse. (Similitudinis causa in scholiis disputatio de origine sacramenti affertur). 3196 ea dicti ratio (est)

= id Augustinus ob hanc causam dixit. 3199—202: altera obiectio proponitur, qua dicitur, si fides iam ante lapsum orta sit, necesse esse, Adam, cum hanc fidem habuerit, qua Christum ad homines lapsos redimendos incarnandum esse crederet, casum hominis praesciuisse. Huic obiectio respondet Andreas u. 3202 sqq. Ceterum de his cfr. maxime PP p. 968 sq. 3199 cognouit, sc. Adam. quae . . futura, scilicet Christum incarnatum iri et pro hominum salute moritum esse. 3200 absque culpa, i. e. nisi aut ipse aut aliquis de posteris in culparum cecidisset. eam . . deuoluendam timuit = ne . . deuolueretur, timuit. 3204 caderet = casurus esset. 3205 ne sic . . culpam = alioqui enim (sc. si hoc scire potuisset) poena culpam praecessisset (— nam sic timuisset, et timor est poena —); sed poenam praecedere culpam Dei iustitia non patitur, cfr. u. 2506 sqq; 2560. 3206 non credit et . . non . . discredited = non credit se casurum nec tamen idem discredited, id quod non nisi errans facere potuit, cum re uera ipse casurus esset; sed error poena est, et Adam ante culpam nullam poenam sentire potuit, ergo nec sic errare, ut se casurum discredenteret (i. e. non se casurum crederet).

3209—38: de ordine trium uirtutum agitur, ubi ostenditur fidem saepe tempore, semper natura spem et caritatem praecedere, ideoque recte fundamentum illarum uocari. 3213 saepe . . carente = cum fides saepe consorte (i. e. socia spe uel caritate) caret. 3217 et sua comprensa = et ea, quae fides plene comprehendit, quaeque eius obiecta sunt, cfr. u. 3374. 3220—25 continent obiectio nentem, qua dicitur necesse esse caritatem, utpote quae omnium uirtutum mater dicatur omnibusque, ergo etiam fidei, formam praestet, fidem tempore praecedere, scilicet fidem formatam; itaque caritatem potius fundamentum fidei uocari debere. 3220 Nec = „nec tamen“ uel „sed non“. formata fides est, quae a dilectione formam accepit, ut Deo adhaereat; contra informis est, quae sine caritate Deum simpliciter esse credit, qualem fidem uel daemones habent. De caritate uirtutes informante cfr. PL 2, 27, f. 3223 formata sc. sola fides. 3220—22: Haec certe Andreas non negat, negat autem id, quod u. 3223—25 inde efficitur. 3224 uirtus . . digna = ea sola uirtus, quae Christum in corde fidelis constituit, quae uirtus fides est uel fides a caritate formatam (Ephes. 3, 17), hoc tanto nomine „fundamenti“ digna est (, ideoque potius caritas sic uocari debet, quae uirtutis fidei causa est). 3226 sqq. Andreas hic respondet ostendens, quomodo accipiendo sit, quod dicitur, caritatem omnium uirtutum matrem esse, scilicet hic tempus omnino non spectari. Ceterum haec contra PL (3, 23, b et i) disputari scholiasta recte animaduertit; cum Andrea facit PP p. 1043. 3226 praecedet, sc. ceteras uirtutes tempore. 3228 sine quibus, sc. operibus. 3230: Inde (quia fides, ut ceterae uirtutes, sine bonis operibus subsistere et uiuere non potest) fides, quae operibus destituitur, mortua

uocatur, et haec fides non ea est, quae f. u. h. &c. 3232 quae formam perdidit: cfr. ea, quae infra u. 3355 sqq. disputantur.

3239—90 uniuerso de ea ratione quaeritur, quae fidei ceterisque uirtutibus intercedit; et primum quidem 3239—56 ostenditur, fidem ipsam secundum mensuram homini a Deo dari, deinde secundum fidei mensuram cetera dona tribui; quaeriturque in transcurso, cur Christo dona non secundum mensuram data sint. 3239 sq. cfr. Roman. 12, 3 sqq.; Corinth. I, 12, 11. 3241—42 uocatur... dona = propria dona (i. e. dona, quae proprio hoc nomine appellantur), scilicet dona gratiae, etiam „uirtutis“ nomine signantur, sed non item dona naturalia. 3243 \* bona multiplicanda profectus = bona, quibus proficimus et meremur, siue uirtutes; quae semper augendae et multiplicandae sunt. 3244 sqq. cfr. Euang. Ioann. 3, 34. Scilicet Christo dona non data sunt ad mensuram (sc. fidei), quia fides in eo, utpote qui Deus esset, esse non poterat („nil creditit“ &c). 3247 sqq.: propter immensam cognitionis claritatem, quae in Christo erat, qua omnia et praesentia et futura plene nouerat, exilior lux fidei, quae tantum dubie de incognitis argumentatur et suspicatur, in eo esse non poterat. 3249 sq. tamquam... sensu = utpote quae nullo sensu humano percipientur. 3252: uel (ideo dicitur, dona Christo non s. m. data esse, quia) transcederunt &c. 3254 mensuris paribus, sc. fidei in diuersis hominibus. 3255 nec = sicut non.

Deinde u. 3257—82, postquam Andreas probauit ipsam fidem, quae proprie gratia prima uocetur, gratis dari, non meritis reddi (cfr. PL 2, 26, d; 27, b. e; PP p. 1044 sq.), itemque omnem uirtutem primam, fidei motu hominem augmentum uirtutum mereri ostendit, et quomodo hoc intellegendum sit; hic simul quaeritur de nexu, qui inter fidem et dilectionem ceterasque uirtutes est, quod ad motus et opera uirtutum pertinet. — 3257 „Ad motum fidei“ hic significare uidetur: „ad meritum fidei“; nam omnis uirtutis motus est, qui meritum efficiat, cfr. u. 3261; 3270; 3881 sqq. Ceterum ex fidei motu fidei mensuram pendere appetet, ut haec cum iis, quae supra u. 3241 sqq. dicta sunt, consentiant. Fidei autem motus est hoc ipsum, credere, sicut dilectionis motus est diligere, similiterque in ceteris uirtutibus. Andreas porro h. l. sic argumentari uidetur: „cum omnia dona secundum meritum fidei dentur, etiam ipsa fides, utpote quae et ipsa donum sit et gratia prima uocetur, ad meritum fidei dari uidetur; hoc tamen fieri non potest, cum necesse sit, fidem uel gratiam primam (sicut etiam apostolus dicit Ephes. 2, 8) gratis dari, non meritis retribui, quoniam omnis uirtus, ergo fides quoque, suo motu prior esse debet, quo quisque meretur, ut nondum ullum adsit meritum eo tempore, quo fides ipsa tribuatur.“ Pergit deinde: „Hinc (i. e., cum gratia prima gratis detur,) nemo uirtutem priorem (= motu suo priorem) fidei motu meretur“, nec fidem ipsam nec ullam aliam uirtutem; nam, ut dicit PP p. 1043, artiore quidem

significatione fides gratia prima uocatur, sed eodem nomine etiam quaevis alia uirtus appellari potest, quoniam prima gratia est uirtus, quam operatur Deus in homine sine homine, et in qualibet uirtute hoc fit; „at tamen fidei motu uirtutum augmentum quisque meretur“. Ostendit deinde u. 3264 sqq., quo iure omne meritum, quo uirtutes augentur, fidei soli adscribatur, dicitque hoc duobus modis intellegi posse („uel.. uel“). 3264: omnis uirtutis, non fidei solius, motus. 3266 motum omnem, sc. cuiuslibet uirtutis. 3267 ad metam: haec meta scilicet Deus est, ad quem omnis motus, omne opus cuiusvis uirtutis spectare debet et per fidem dirigitur; cfr. u. 2476 sqq. 3270 sqq. pergit ostendere, recte omne meritum fidei attribui, non dilectioni, quamvis huic primas partes adscribere alicui in mentem uenire possit propter ea, quae hic dicuntur; earumque conexione declarat. 3272 inter opus fideique uiam, i. e. inter opus cuiuslibet uirtutis et fidem, quae eam dirigit uiamque ei monstrat operanti. 3273 nec ipsa &c. — sed non tamen ipsa dilectio grata fit sine fide grata, quae etiam illam dirigit; ergo fides prima it, haec fert signa, haec omne meritum parat; inde etiam (u. 3275) in scriptura fides per dilectionem operari dicitur ut dilectionis opera quodammodo fidei tribuantur, quamvis dilectionis opus proprie sit ipsius dilectionis, non fidei, motus, sicut, omnino omnis uirtutis opus huius ipsius uirtutis motus est, non fidei, licet fides etiam per omnem uirtutem operari dicatur. — Deinde u. 3278 sqq. similiter declarat, quaenam ratio fidei ceterisque omnibus uirtutibus intercedat. 3280 sq.: ut ipsam (fidem) sic aliae (excident), sicut a. p. e. i. 3282: hoc modo intellegendum est, quod dicitur, dilectionem credere et sperare, i. e. fidei et spei opus exercere.

Denique u. 3283—90 ostenditur, fidem ceteris uirtutibus ad miracula facienda plus ualere. 3289 item fidei: sicut caritati. ne = quod dico, ne. 3284 an prosit.. maior, i. e. an dilectio in hac re maiorem uim habeat. 3285 uel = quin etiam. 3287 ipsa, sc. fides.

3291—304 de comprehensis fidei agitur et ostenditur, fidem non esse de iis, quae percipi et sciri possint, nec omnino de certis, quamvis ipsa certissima sit; deinde, exposita duplice uocis „fidei“ significatione, de fidei catholicae necessitate agitur, quam omnes, et maiores et simplices, habere debent, et peculiariter de fide simplicium hominum disputatur (3305—25), tum de fide antiquorum, ubi quaeritur, num fieri possit, ut quicquam falsi fidei subiectum sit (3326—54). 3291 est ad meritum = meritum parit. 3295 sqq.: ex hoc &c. = quamquam etiam in hoc quodammodo creditit; nam ex hoc, quod uidit, creditit eum ueraciter, non specie tantum, hominem esse, nolens facere cum catharis, qui uerum hominem Christum fuisse negant. 3301: uel (ideo certissima esse dicitur,) quia &c. 3302 non formidantem = adeo ut non formidet. 3303: uel (ideo certissima uocatur, quia ea,) quae creduntur

&c. 3305 sqq.: fides aut est uirtus, qua creditur („subjektiv Tro“), aut est id, quod creditur („objektiv Tro“); „ista fides“, quae u. 3303 sq. descripta est, fides est altero modo intellecta, 3306 sq.: hancque . . uitae: haec ad symbolum Athanasii spectant, in quo extremo dicitur: „Haec est fides catholica, quam nisi quisque firmiter fideliterque crediderit. saluus esse non poterit.“ Inde pracepta, quae sequuntur. 3308 sqq. Cfr. August. apud PP p. 1092: „de credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus“. 3309 an sint, sc. ueri. 3316 sqq.: Clarior intellectus fidei eius, quam hic explicauimus, i. e. fidei catholicae in symbolo expositae, non ad paruos et rudes pertinet, immo ad magnos tantum et peritos; saluari autem possunt minores et simpliciores, si ea uera esse credunt, quae credunt maiores, etiamsi quae sint ignorant nec penitus intelligere possunt; hoc significatur uerbis scripturae, ubi legitur: „boues arabant, et asinae pascebantur iuxta eos“. Nam, ut dicit PL (3, 25, b) hunc locum explicans, „simplices et minores sunt asinae pascentes iuxta boues, quia humilitate adhaerendo maioribus in mysterio credebant, quae illi in mysterio docebant.“ 3321 sqq. dicitur, credere nos posse articulos fidei uolentes, „quamuis . . amici“, ergo etiam Christi amicissimi nostri, cuius tamen mortem credere symbolo iubemur; et credere nos debere uolentes, ut meritum ex fide oriatur. 3324 quod oportet habere uolentem = quod nemo inuitus habere potest; cfr. u. 3823 sqq. — 3326. Antiqui patres sunt sancti ueteris testamenti usque ad Ioannem baptistam. 3330 sq. cfr. PL 2, 25, c; ostenditur contra quosdam, etiam Ioannem omnia eadem quatuor credidisse. non natuitatem modo et iudicium Christi. 3332 quatuor horum comprehensiua = quatuor haec in se comprehendens; neque enim fides antiquorum „comprehensiua“ eo sensu dici potest, quo „fidei aenigmaticae“ e regione ponitur, cum fidem illorum quam maxime aenigmaticam fuisse appareat. 3336 sqq. Ex praecedentibus elucet, antiquos eadem omnia credidisse, quae nos symbolo credere iubemur; hoc tamen interest, quod illi tria prima tamquam futura credebant, quae nos tamquam facta credimus. Sed cum fieri possit, ut ea, quae ad futurum tempus pertineant, numquam eueniant, hic oritur quaestio, num fidei, quam supra u. 3303 sq. scriptor de fide catholica cogitans 'ueraciter extantia' credere dixit, etiam falsum subesse possit, et quid tum de uia fidei ad saluandum iudicari debeat. Hanc quaestionem, quam etiam PP p. 1093 breuiter attigit, cum PL nihil simile habeat, ita tractat Andreas, ut primum fidem antiquorum nihilominus et necessariam et saluatricem fuisse ostendat, etiamsi ea, quae crederent, numquam futura essent (u. 3336—47), deinde duo exempla similia addat, simul autem in his declarat, hoc tantum fingi, re uera fidei iustae nullum falsum subesse posse. 3336 Quamuis functis c. posset, quod . . = Etiamsi patribus mortuis contingere posset (, quod re uera non potuit), ut . . . 3337 quod . . uitae: scilicet quia haec sola fide incarnationis ueraciter futurae

uel factae mereri posse uidemur. 3339 non sumpta carne — cum illorum tempore nondum carnem sumpsisset. 3340 clementia sola &c.: ergo non necessario hoc fecit, ideoque non fieri potuisse uidetur. 3343 uel m. fide falsi = etiam falsae rei fide m. 3346 non posset sciri: nam sciri ea tantum possunt, quae re uera facta sunt. 3347 diligeret.. Creator; sed hoc per se ineptum esse appareret, ideoque illa fictio tota inepta est. 3348—51 et 3352—54: haec duo exempla habet etiam PP. 3349 quod non est: scilicet quia panis purus est, nondum consecratus, quem sacerdos laico credenti ostendit. 3349 sqq. sed, nisi cuncta &c. = Certe sic fidei falsum suberit; sed haec fides iusta non est; nam nisi cuncta &c. In his enim, ut dicit PP, non simpliciter credendum est, sed semper cum latenti aliqua determinatione: „si scilicet consecratio facta est secundum instituta Christi et Ecclesiae“. 3352 sqq: similiter nemo simpliciter credere debet, aliquem esse saluandum, sed cum hac tantum determinatione: „si durauerit . . . amore“.

3355—434: de fide formata (sive fide uirtute) et de fide informi quaeritur, utrum eadem sit fides, ita ut informis accedente formata non pellatur, an fides formata informem expellat. Illud defendit Andreas; PL et PP nihil definiunt. — 3355: Ut lux solas tenebras expellit, non lucem antea existentem, ita gratia solas culpas pellit, non gratiam, quae ante habebatur. 3357 amor = caritas, quae omnem uirtutem informat, cfr. u. 3221. 3360 sqq.: Cum fides uetus (informis) sic perduret et maneat, licet ignis amoris, nouus ad eam hospes adueniens, hospitium suum (i. e. ipsam fidem informem) illustrauerit et informauerit, constat e andem fidem, quae antea informis fuerit, perdurare, forma tantum ab hospite sumpta, ut iam sit formata fides, de qua nunc sola motus meritorius exit; ex forma tantum nomen uirtutis adepta est (, cum substantia eadem maneat), ut sit propter formam acceptam uirtus, quae &c. 3368 informans prius = quae antea eam informabat. 3369—83: Postquam Andreas sic sententiam suam declarauit, eos refellit, qui, si fides informis non prorsus pellatur, necesse esse putant, duplarem fidem in uno iusto esse. 3369 sqq.: Cum .. non consumatur .., quomodo .. permanet = Quamquam .. non consumitur (et pellitur), non tamen .. permanet. Cum .. non consumatur: unde aliquis credere posset, sic necessario binam fidem in uno oriri. 3373 sine qua dilectio uirtus esse nequit, sc. in homine; nam dilectio uirtus fidem formatam necessario gignit, ut altera ibi esse non possit, ubi altera non sit. 3374 cum sint eadem comprehensa = quoniam ea, quae utraque fides comprehendit, prorsus eadem sunt. 3376 sqq. ostendit uerum esse, quod proximis uerbis dixerat, ab utraque fide prorsus eundem motum procedere; nam si non ita esset, ab informi fide aut plane diuersus motus procedere posset aut plane nullus; sed utrumque inepte ponitur, quoniam aperte praua inde efficerentur. 3376 ab illa, i. e. ab informi (uel antiqua). 3377 iusti meritorius extet

= mereatur, ut iustum reddat hominem, qui effectus ex uirtute sola produci potest. 3378 talis propago, i. e. iustum. 3381: solaque sufficeret antiqua fides, quae iam noua uirtus facta esset. 3382 ab ea = ab informi. 3384—89 exemplo illustrantur ea, quae supra u. 3367 sq. dicta sunt. 3388 fidei substantia = uestis fides informis. — 3390—434 rursus asserit, fidem formatam eandem esse, quae antea informis fuerit, ostenditque idem de ceteris quoque uirtutibus ualere, quae, dum adhuc informes sunt, „iustitiae naturales“ uocantur; de quo nomine disputat. 3390 ens uirtus == ea (fides), quae uirtus est, i. e. fides formata. 3395 proximus extat = primus et fundamentalis est. 3396 credi debita = ea, quae credi debent. 3397 seu .. noctescat, quod fit, dum fides eius etiamnunc informis est. 3402 ueluti .. stantes: significari his uidetur etymologia aliqua uocis, quasi „uirtus“ sit uis quaedam hominem a criminibus tutum praestans. 3407 sacra pagina: significat fortasse patrum scripta; in scriptura quidem sacra hoc nomen diserte ponit non credo. 3412: in quibus hae (iust. nat.) sunt quasi naturalia dona, cum (re uera) sint tantum gratuita, quamuis informia sint. 3419 uel (= etiam) naturalis, nedum informata. 3420 sq. siue quibusque .. debent: iustitia enim est uirtus sua cuique reddens, cfr. u. 3761. 3424: et (qui) sic ne habitu quidem eas habet, q. n. h. u. 3425 scriptura: significatur locus Augustini in libro de praedest. sanctorum cap. 5, cfr. PL 2, 28, g. 3431 in tempore primo = in statu primo. 3433 sq.: hoc sane non commemorauit scriptor initio libri V, ubi dici debuit; nec scio, quaenam illa multa dona gratuita fuerint.

3435—85: De spe; cfr. PL 3, 26; PP p. 1094; HS tract. 1 cap. 2.

3435—55: ostenditur spem medium locum obtinere, et quaeritur de spe informi et formata, et quid sit spes uirtus. 3437 amor iste, quem spes ex Andreae sententia praecedit; hic quoque a PL dissentit, cfr. schol. ad u. 3217. 3444 sqq.: ueniens et ex gratia Christi et ex meritis praecedentibus, non tamen quae praecedant ipsam spem (sc. informem adhuc), cuius motus, ut u. 3436 dictum est, praecedere debet amoris motum, quo omnia merita oriuntur, ut nullum meritum hanc spem informem praecedere possit, uerum quae rem speratam, aeternam uitam, praecedant. Quod hic Andreas „haut .. uerum“ dicit, cum PP et H facit contra PL, qui „uel .. uel“ dicit; sed PL „ipsam spem“ de spe uirtute intellegit, et hanc re uera merita necessario praecedunt, utpote quam caritas informans praecedat.

3456—63: de comprehensis spei, et quomodo spes et fides inter se differant, quod ad haec pertinet. — 3458 quamuis .. fidei = cum e contrario haec cuncta fidei, quam antea commemorauimus, conueniant; fides enim et mala et bona credit, nec minus praeterita et praesentia quam futura. 3460: sed de illis, quae subiecta sunt oculis uel omnino omni sensui corporeo,

nec spei nec fidei esse conuenit; haec nec creduntur nec sperantur. 3462 cfr. Roman. 8, 24. 3463: scit, nec expectat, ut id, quod iam praesens est, aliquando futurum sit.

- \* 3464—73: quaeritur, num spem habuerit Christus. Spem uirtutem, ut supra definita est, in Christo esse non potuisse apparet; sed nihilominus scriptura sacra (ut locos Psalm. 15, 1 et 30, 1 enarrant) Christum sperasse testatur; quid igitur sperauit? Andreas explicationem u. 3465 sqq. proponit. 3465 sq.: sed, dum in corpore erat, sperauit se easdem dotes egregias habiturum, quas nunc in aeternitate habet. 3470 substantia serui, i. e. humana eius natura; ut homo et sperare et scire potuit, ut Deus tantum scire, nec huic scientiae spes adiungi poterat. 3472 sq.: similiter etiam Petrus (i. e. unusquisque fidelis) spem scientiamque simul habere potest, sicut Christus homo; hoc tamen interest, quod Petri scientia tantum aenigmatica est (ut uerbis, q. s. „in speculo aspiciat“ declaratur), cum scientia Christi comprehensiua fuerit. 3474—79 aporia praecedenti quaestioni adiungitur, cuius, ni fallor, hic sensus est: „Num ea spes, qua purus uiator (i. e. homo iustus in hac uita) has deitatis dotes sperat, spes uirtus esse potest, cum ea spes, qua Iesus eas sperauit, non sit spes uirtus?“ Et responsum contineri uidetur sequentibus interrogationibus, quarum prior (in qua „numquid non“ = „nonne“) significat, fortasse spem uiatoris puri specie esse eandem, quam spem Iesu, quamvis in uiatore uirtus sit, in Iesu non uirtus; si hoc non probatur, illud probare cogimur quod altera interrogatione continetur, scilicet fortasse in uiatore uno binam spem simul esse, alteram uirtutem, alteram non uirtutem; sed hoc post ea, quae u. 3369 sqq. de bina fide dicta sunt, uix quisquam probabit, ideoque prius potius probandum est.

3480—85: de spe salutis suae et alienae, et utra praeferenda sit. — 3482 quia non licet &c; cfr. August. sup. Psalm. 36 contio 2.

3486—669: De caritate; cfr. PL. 3, 27—31; 36, c. PP p. 1087—89, 1095—1127; HS tract. 4 cap. 7. 8.

3486—516 continent laudes caritatis; similitudines, quas hic adfert scriptor, maxime ex Augustini lectione petiuisse uidetur, apud quem multa similia reperiuntur. 3488 in uita .. futura — quae in hac uita tum maior tum minor erit, cfr. u. 3621 sqq. 3509 dilectio bina, sc. Dei et proximi, cfr. 3523 sqq. Ceterum in decalogi cum psalterio comparatione duo asseres duae legis tabulae esse debere uidentur, quarum altera mandata tria de Dei amore continebat, altera septem de amore proximi; pennis, quas plectra esse puto, decem psalterii chordae tanguntur, id est: bina dilectione decem mandata complentur; ita caritas legi apte consonat. Sed duas legis tabulas nonnulli duo testamenta significare uolebant (cfr. Isidori comm. in Exodum cap. 30), mira sane interpretatione; eodemque modo Andreas hic duobus psalterii asseribus hanc significationem

attribuit, hoc, ut uidetur, sentiens, utroque testamento eundem amorem iuberi, ut u. 3511 sqq. exponit. 3511 nouum = noui demum testamenti tempore latum. 3511 sq. tempore . . tenendum = cum tempore quidem iam legi Moysi inscriptum sit et semper sine fine tenendum. 3513 sqq.: sed noui testamenti tempore, post aduentum Christi, cuius luce ueteris corruptionis tenebrae depulsae sunt, caritas est mandatum (denuo) latum, qua lex compleatur, utpote de qua lex omnis pendeat omnesque prophetae.

3517—22: de caritatis cum igne comparatae qualitatibus. — 3520 humore culpae, cfr. 1890: aqua reatus, et 1891 sqq. 3522 penetrans. sc. mentes.

3523—27: de caritate gemina. — 3528—38: de Dei amore. 3529 intellectus: nam huius sedes cor esse putatur. 3531 meminit: nam „meminisse“ est „mente tenere“. 3534 sqq.: hoc de Dei amore praeceptum aut de praecipuis tantum motibus nec de omnibus accipiendum est, et sic intellectum illud homo iam in hac uita complere potest, quoniam hic motus caritatis erga Deum omnibus aliis praeponere potest; aut de omnibus motibus intellegendum est, et sic in terris quidem impleri non potest, cum hic non omnes motus ad Deum dirigere possimus; sed causam, cur nihilominus editum sit, hanc esse appetit, quod utile fuerit homini illud cognoscere. — 3539—61: de amore proximi, ubi quaeritur, quis proximus sit. 3540 hunc, i. e. inimicum. propter Dominum = „ut iustus fiat“, PL. 3541 in Domino = „quia iustus est“. 3542: hoc sectantes, ut omnes per amorem uita aeterna potiamur, non minus proximi quam nosmet ipsi. 3543: aut alium sicut se diligit omnis homo, qui . . impendit . . et . . facit. 3560: (sicut Christum hominem quisque sicut se et tamen plus se amare debet,) sic etiam alios sicut nos et tamen minus nobis iuste amare possumus. — 3562—74: de amore nostri (i. e. animae nostrae et corporis nostri) et de ordine amoris. 3564 nos . . includi m. c. amoris: ut speciali de nostri amore mandato opus non fuerit. 3566: infra (nos sunt) corpora nostra. 3571 sqq.: „stola prima“ significat aeternam animae nostrae salutem uisionemque Dei; „stola secunda“ autem corporis nostri in aeterna uita glorificationem; hae indissolubiliter iunctae sunt, ideoque, sicut animae nostrae salutem, sic etiam corporis nostri glorificationem et aeterna commoda alterius etiam aeternae saluti iure praeferre possumus; cfr. PP p. 1101 sq.

3575—79: de caritate et patientia. 3577 non diffinit (eam), i. e. non dicit caritatem et patientiam plane eandem uirtutem esse, quoniam dilectio non est patientia, quae uirtus per se distincta est. 3579 quod potiatur = potiri. — 3580—92: de caritate et fide, quod ad quaestionem de remissione peccatorum pertinet. 3584 portum uitae, i. e. Deum. 3586 attribuuntur, sc. et fidei et amoris motus. 3587 eius, i. e. Dei.

3593—620: de meritis caritatis, ubi primum ostenditur amorem Dei magis meritorum esse amore proximi, deinde magis

mereri illum quidem, sed non maius, praemiaque semper mensurae amoris respondere. — 3597 quamuis.. summam: ita ut dici non possit, amorem Dei u. c. duplicem uel triplicem alterius amoris ualorem habere, uel similia. 3600: quamuis amor unus sit (cfr. u. 3524), qui unica radix est motus utriusque. — 3606 magis mereatur, sc. uno quam altero. 3607 maius, i. e. maius praemium. 3608 mensurae amoris: quae eadem esse potest, quamuis obiecta diuersa sint, itemque quamvis numerus bonorum operum diuersus sit. 3611 ex quanto, sc. amore. 3614 una durante mensura — si mensura amoris eadem manet. 3616 durat — eadem manet. 3617 Nec — nec tamen. 3620 manentis — eandem mensuram seruantis.

3621—32—54: de auctu et defectu amoris; de reditu caritatis amissae. — 3628 uenialia, sc. peccata. 3633 sqq.: amissam caritatem eadem, quam antea habuerat, mensura redire monstrant merita, si haec quoque eadem mensura redeunt; sed haec interdum, quod ad quantitatem pertinet, minora redeunt, etiamsi, quod ad qualitatem et genus pertinet, eadem redeunt, et sic fortasse etiam caritas minor redire potest. 3638 amor respondet utrisque: nam amoris mensurae respondent praemia (u. 3608), et e contrario. 3639 sqq.: Si quis cecidit et casus eius maiorem amorem sustulit, hic casus ei, cum postea in amore minore resurrexerit, ad usum cautelae cedere (= cautiorem facere) solet, ut c. o. l. p. cauere studeat. 3642—45 obicitur praecedentibus, merita (et cum iis caritatem) eadem semper mensura redire debere, cum etiam peccata semper aequalia redeant. 3646 sqq. haec obiectio refellitur, cum ostenditur, meritorum et peccatorum rationem, si praemia eorum poenasque species, contrariam esse. 3647 uelut.. amoris — sicut uirtutibus omnibus una merces debetur, quae semper m. a. respondet. 3653 sq.: quo enim iure ea poena, quae maiori peccato debetur, fieret minoris peccati poena? suam quodque peccatum poenam habere debet.

3655—62—69: comparantur amor peccatoris et amor iusti, quo uterque Christum amat; item amor perfecti hominis et imperfecti. — 3663: perfectus magis ideo amat, quod Deus in se bonus est, i. e. magis propter Deum ipsum amat. 3667 utramque causam, i. e. et Deum ipsum et praemia aeternae uitiae.

u. 3670—73 concluditur haec de tribus uirtutibus theologicis disputatio; deinde uero corollarii loco superadduntur quaedam quaestiones; quarum prima u. 3674—718 continetur, ubi quaeritur, num omnis articulorum fidei ignorantia, etiam non uoluntaria, in culpam trahat. Nihil simile apud PL ceterosque inueni. — 3674: quamuis infans per aetatem intellegere non posse dicatur, se uirtutes accipere; ceterum cfr. PL 4, 4, h; PP p. 1232 sq. 3688 sqq.: Si certum quoddam temporis spatium percurrere uel unum aliquod opus perficere posset sine culpa, etiam omne tempus et omne opus sine culpa eum peragere posse appareat et sic sine fide saluari; sed hoc absurdum uidetur.

3695 quamuis — etiamsi; hi ergo sentiebant eum omni opere peccare. 3697 et 3711 cfr. Corinth. I, 14, 38. 3712 uel debet — et debet. 3715 sqq. memoratus adultus — is, quem supra dixi adultum factum articulos fidei ignorare; ergo horum uersuum sententia est: si quis, postquam .. fuerit, adultus factus articulos fidei, ut supra dixi, ignorabit, ex tunc d. f. culpabilis (erit et) ignis .. esse.

3719—43 quaeritur, num homo scire possit se uirtutes habere; hoc quidam negabant iis scripturae locis freti, qui u. 3719 sq. et 3735 adferuntur; contra quos Andreas disputat, hos locos falso ab iis intellectos esse ostendens. — 3720 hic — in hac uita. 3722 sq.: Sed in hoc loco neque (propter „amore“) eius uirtutis neque (propter „odio“) eius culpae, quae ad hanc uitam pertinent, mentio fit, uerum poena aeterna et uita aeterna his uocibus designantur. 3724 sq. Andreas occasione data etiam alium aliorum de huius loci sensu errorem castigat. 3724: nec tamen inde, quod uox q. e. amore „dignus“ usurpat, effici debet, Deum ex meritis quemquam ad aeternam uitam praedestinare, cum haec uox h. l. improprie usurpetur. 3728 scis — scire potes, sc. ex iis indicis, quae deinde u. 3730 sqq. commemorantur. 3733: et uera contritio, quamuis parua sit, reatum diluit. 3735: ne Iob quidem, ut illi putant, nesciebat se simplicem esse (i. e. uirtutes habere), etsi se propter poenas (et calamitates sibi inflictas) hoc ignorare dicebat. 3737 sqq. alio item argumento sententiam suam firmat dicens, si uera sit illorum opinio, qua homines se uirtutes habere scire non posse putant, sacerdotes omnino officia ecclesiastica non sine culpa exercere posse. 3739 conficere, sc. corpus Christi per panis consecrationem. 3740 numquid .. expedit — nonne expediatur; item u. 3743 numquid .. est — nonne sit.

3744—59 ostenditur, certitudinem fidei non esse scientiam; cfr. PL 3, 35, a. b. — 3744: si certus es te uirtutes habere, certus es etiam fidem in te esse, ut quae uirtus sit. 3745 sed — sed et, praeterea. 3751 comprensa — ea, quae articulis fidei comprehenduntur, cfr. u. 3217. minusque .. lumen, cfr. 3247 sqq. 3753: sic igitur fides abscederet; sed si (credulitate, i. e.) fide careres, simul etiam merito careres. 3754 sqq. aliud exemplum affertur, in quo eadem scientiae et fidei differentia apparet. 3755 licet eius ad esse sequatur esse Creatoris — licet, si creatura sit, inde sequatur, etiam Creatorem esse. 3758 sq.: aliquo tamen modo hic dici potest, scire nos Deum esse, scilicet quia logica ratione ad hanc scientiam peruenimus.

## LIB. VII.

De quatuor uirtutibus cardinalibus et de uirtutibus  
in uniuersum disputatur (3760—880); sequuntur de gratia et

meritis uariae quaestiones (3881—4266); tum de septem donis Spiritus sancti exponitur (4266—4449).

3760—81: de quatuor uirtutibus cardinalibus earumque ui et usu et in hac uita et in aeternitate; cfr. PL. 3, 33, a; PP. p. 1079. — 3767 sqq. cfr. (in Euangeliis apocryphis) hist. Iosephi cap. 30 sq.; Euang. Nicodemi part. II cap. 9; item Lactant. instit. VII, 17 et epitom. instit. cap. 71. 3770 aurigam, i. e. possessorem, qui eas habet. in patria, sc. caelesti. 3771 eff. habitura nouos = sed ibi nouos effectus habebit. 3771 sqq. uerba q. s. „contraria . . . ciues“ fortitudinem spectant, uerba „nullus ibi . . . subuentio nulla“ iustitiam, uerba „insidiis . . . quemquam“ prudentiam; desiderantur ergo uerba, quae ad temperantiam referantur, quam PL in aeternitate esse dicit „sine repugnatione libidinum“; nisi forte extrema uerba simul ad prudentiam et temperantiam pertinent, ut „insidiae“ ad prudentiam, „temptatio“ ad temperantiam referenda sit, quod sane fieri potest. 3777 sqq.: sed iustitiae ibi est (possessorem suum) Deo subiectum reddere, cui cuncta subici debent; prudentiae ibi est nihil Deo praeferre, nihil aequare; fortitudinis ibi est possessori suo persuadere, ut Deo fortiter adhaereat; temperantia denique ibi facit, ut neminem mala delectatio temptet.

3782—826 ostenditur eum, qui unam harum uirtutum habeat, omnes omnino uirtutes necessario habere, si non actu, at certe habitu, si non in specie, at certe in genere, nec ad unamquamque habendam eius, cui dentur, voluntatem requiri; cfr. PL 3, 36, a; PP. p. 1078 sq.; 1127—34. — 3803 subiectum = possessorem suum; item 3805. 3810—16 ad praecedentes interrogationes responderi uidetur; Andreas enim. ni fallor, hoc dicere uult, etiam eam fortitudinem, quae habitu tantum adsit, ad totum genus fortitudinis pertinere, nec in fortitudine, ut ne in ceteris quidem uirtutibus, requiri, ut omnes species eiusdem generis adsint, sed satis esse unam aliquam speciem adesse. ut eius possessor totum eiusdem uirtutis genus habere recte dici possit; ergo etiam eum, qui habitu tantum fortitudinem habeat, iure fortis dici posse et fortitudine mereri. 3811 sq.: quibus est socius &c. = itemque res habet, quod ad timorem et ad castitatem (= renum cinctionem) pertinet, quae ambo iuncta sunt uirtutibus; nam timoris unum est genus, sed tres sunt species (sc. seruilis, initialis, filialis), itemque castitatis unum est genus, sed tres species (sc. uirginalis, coniugalis, uidualis), cum trium personarum sit castitas; et una species timoris et castitatis semper in subiecto esse debet. 3812: (quibus) una (tantum) trium (personarum) castimonia est socia, non trina. 3813 sqq. hoc dicit: ceterum, quod plures sunt species timoris et castitatis, sic fortasse explicari debet, ut unam uirtutem timorem et unam uirtutem castitatem esse putemus, quae secundum tempora et personas speciem mutet. De timoris speciebus, quarum duae tantum uirtutes sunt, cfr. u. 4280 sqq.

3827—47 ostenditur, omnes uirtutes in quolibet homine pares esse, cfr. PL 3, 36, b; PP p. 1034—36; deinde u. 3848—55 obiectio proponitur et refellitur eorum, qui iustitiam et misericordiam in eodem pares esse non posse censem; hinc u. 3856—80 de Dei misericordia, iustitia omnipotentiaque disputatur et demonstratur, haec non inter se pugnare; cfr. PL. IV, 46; PP p. 834—40; 1057 sq. — 3829, cfr. u. 3491. 3835: quantum prudens et iustus possessor earum fortis est. 3836 ipso, sc. fortis possessore. Ergo, si duo pares sunt in prudentia et iustitia, pares sunt etiam in fortitudine; nam si alter fortior esset altero, etiam prudentia illius fortior esset quam huius prudentia, et sic etiam in prudentia impares essent. Sed illo argumento, quod ex Augustino petitum est, hoc tantum demonstratur, homines, si in una uirtute pares sint, in omnibus pares esse; non demonstratur, uirtutes omnes in eodem homine aequales esse. 3846 Baptistae, cfr. Luc. 7, 33. Iohannis, sc. Euangelistae, qui ‘virgo inter apostolos’ fuit, et quem Iesus a nuptiis reuocasse dicitur; cfr. Alanus contra Valdenses et Albig. cap. 64. 3847: licet hae uirtutes in his hominibus ceteris uirtutibus magis emicuisse dicantur ob maiorem usum.

3851: sed quo maior iustitia est in aliquo, eo maior etiam misericordia esse debet, si uerum est, omnes uirtutes in eodem aequales esse; ergo, quo minor remissio est, eo maior eadem remissio esse debet (— Andreas uersus causa membra conclusionis inuertit —). Sed hoc nugatorium esse apparet; uerum conclusio falsa est, eoque falsa fit, quod propositio uersus 3850 falsa est, ut dicitur u. 3853 sqq. — 3856 sqq. Dicat hic aliquis, omnipotentiam Dei coërceri misericordia eius; neque enim Deum plene iustum esse posse, ita ut poenam, quantam aliquis meruerit, ei infligat, quoniam immisericors esse non possit. Nam certe ad iustitiam eius necessarium esse uidetur, ut culpae poenam aequet nec quicquam de ea remittat; quod si facere non potest, nisi ut misericordia carere uideatur, simul necesse esse uidetur, eum aliquid de poena merita remittere et sic contra iustitiam facere. Sed tamen, quod Deus minorem tantum illam expedit poenam, id non secundum misericordiam suam facit, etsi misericordia ad hoc faciendum commouetur; immo secundum iustitiam suam facit; nam ex hac ipsa quaedam poenae pars maxima esse reputatur, qua reus flagellari debeat, eamque Deus sumit et reum ea affligit pro iusto reputans, reum, qui poena domandus sit, hac tantum parte, non asperiore percelli et puniri; itaque reus Deo iudice non maiorem (i. e. totalem) meruit poenam, quam Deus illi infligeret, si nulla misericordia poenam relaxaret. 3868 sqq.: Hoc quidem modo concedendum est nos ad inconueniens illud, quod supra (u. 3852) posuimus, deferri; iam enim demonstrauimus Deum ex iustitia sua, etiamsi misericordia commotum, partem poenae remittere posse; idem uero secundum eandem iustitiam omnes damnare debere nec ullam partem poenae remittere posse uidetur. Ne tamen hoc per-

turbemur, quoniam hoc inconueniens iam ante repulsum est (u. 3853 sqq.) et explicauimus, quomodo Deus partem poenae de iure remittere possit; neu Dei omnipotentiam inde, quod hoc faciat, coërceri dicamus, quasi non queat poenam culpae exaequare is, qui tamen sola pietate et misericordia commotus minorem infligit eo modo, quem demonstrauimus. Nam certe potest poenam culpae exaequare, et sic quoque uerba Psalmi uera essent. quibus misericordia eius super omnia eius opera esse dicitur, sic quoque misericorditer faceret; non tamen tunc uerba Psalmi intellectum eum haberent, quem nunc habere vulgo et recte creduntur, scilicet Deum pro misericordia sua de poena aliquid relaxare. (Sed quem igitur intellectum haberent? quomodo Deus nihil remittens misericorditer facere dici poterat? Huc pertinent ea, quae scripsit PP p. 835: „dicunt quidam, quia, etsi nihil relaxaret Deus de poena debita Iudae, non tamen immisericorditer cum eo ageret; quia in suo esse conseruaret, quae est misericordia maxima, uel quia non permetteret diabolos eum plus punire quam meruerit; et infinita alia sunt occulta, in quibus etiam posset effectum misericordiae impendere, etiamsi nil de debita poena remitteret“ &c). — 3875—80 explicationem continent eorum, quae supra u. 3863—65 de parte poenae infligenda dicta sunt. 3875 mali . . peioris: mascul. gen., non neutri, ut uult schol. 3878 sqq.: si non maiori culpae maior poenae pars tolleretur quam minori culpae, sed plane idem de utriusque culpae poena detraheretur, ponamus uerbi causa de poena decuplo peioris peccatoris et maioris culpae decimam partem detrahi: apparet, si idem prorsus de poena decuplo minoris culpae a malo commissae detrahi deberet, hanc culpam minorem prorsus impunitam manere. —

3881: hinc uariae de gratia et meritis quaestiones tractari incipiunt, et primum quidem demonstratur, motu et operibus uirtutis, non autem ipsa uirtute nos mereri: 3881—95; cfr. PL 2, 27—28; PP p. 1042 sq.; 1048 sqq. — 3889 hinc, i. e. quia omnis uirtus gratia prima est, quae gratis datur. 3890 sqq.: tamen, cum uirtus meriti causa sit, interdum uirtus ipsa hoc nomine „meriti“ appellatur et hominem uita aeterna dignum reddere dicitur, ut in sequentibus sententiis. — Huic disputationi u. 3896—906 hoc adiungitur, sanctos non ipsa passione mereri, quamuis iusta sit, scilicet quia non sit ipsa uirtutis motus; immo dicendum esse, sanctos in passionē mereri, in qua uirtutum motus apparent; deinde u. 3907—19 additur, similiter ne ipsum quidem Christum passionē meruisse, sed in passionē, et de meritis eius plura disputantur, cfr. PL 3, 18; PP p. 1111; p. 1189—95. — 3896 sqq. exponit, quomodo passio sanctorum „iusta“ dicatur, scilicet „iusta“ hic idem esse quod „Deo grata et accepta“, sed non idem quod „meritis debita“; nam meritis eorum non passionem et poenam deberi, sed e contrario praemia. 3898 iustior, scilicet „Deo gratior“. 3899 sq.: cum „malus“ sit melior quam „peior“, ex antecedenti

sententia effici debere uidetur, mali poenam iustiorem esse quam poenam peioris; hoc tamen falsum est, quoniam in malis plane diuersa est ratio ab ea, quae in bonis est; nec refert, utra significatione hic „iusta“ intellegatur. — 3908: Christus passionem suam non secundum humanam naturam fecit (= suscepit), sed secundum diuinam naturam, et ob id ipsum passione mereri non potuit, sed per opera in passione gesta, quae secundum humanam naturam fiebant, meruit; et id, quod in ea meruit, glorificatio fuit humanae naturae suae, quam sane iam inde a conceptione meruerat, sed tunc demum omnibus manifestata est, ideoque eam in passione meruisse dicitur. 3915 sqq. sed dilectio eius meruit, ut retributio eius meritis debita semper compar esset, quia et ipsa dilectio eius semper compar erat. 3918 cfr. u. 2378 et infra u. 7544 sqq. 3919 tantum nobis, non sibi ipsi.

3920—40: de infusione uirtutis (s. gratiae), quam natura, sed non tempore, effectus suos praecedere ostendit scriptor, simul declarans, quomodo inde merita et peccatorum remissio sequantur; cfr. PP p. 1044 sq. — 3922 sqq. exemplis allatis probatur sententia praecedens, qua dicitur motus uirtutis meritum producere; nam uerba, q. s. „dilexit“ et „credidit“, significant motum caritatis et motum fidei, cfr. nota ad u. 3257. 3924 ad „iustitiam“, quo nomine in his sacrae scripturae locis „iustificatio“ uel „peccatorum remissio“ significatur. 3926 culpae egressum = peccatorum dimissionem. 3929 uirtutem motus (sequitur) = uirtutis infusionem motus uirtutis sequitur. 3934 subiectum = eum hominem, cui infunditur. 3935 uitii n. expers = nec tamen ipsa quidquam ex uitio in se contrahit.

3941—60: de subtractione gratiae, et quo sensu Deus gratiam alicui subtrahere dicatur; cfr. PL 1, 40, d; 41, a; PP p. 849 sq.; 857 sqq. — 3941: Quomodo uirtus per gratiam infundi, similiter e contrario gratia subtrahi potest, et haec subtractio gratiae similiter natura, non tempore, uitiorum ingressum praecedit; sed cum Deus causa sit infusionis, non est causa subtractionis. 3948 sqq.: hanc comparisonem habet etiam PP p. 862. sicut culpandus non est, sc. quasi causa ruinae sit. 3949 ruenti — ut iis subtractis ruat. 3951 Quomodo &c. — Dicat hic forsitan aliquis parum conuenienter gratiam subtrahi dici, cum semper offeratur. 3952 Sed — Recte quaeris; sed uerbum q. e. „subtrahere“ in his sic intellegendum est, ut dicamus Deum non affirmatiue (i. e. per positivam, quam uocant, actionem) eam subtrahere, sed negatiue, cum eam non apponat. Ideoque non dicendum est, uelle Deum uel placere Deo gratiam subtrahere, quoniam haec duo uerba semper positivam actionem monstrant et Deum causam subtractionis esse significant. 3955 quod non est = quod nihil est. quod plane negatiuum est. 3956: similiter quod Deus interdum „reprobare“ et „indurare“ dicitur (ut Exod. 10, 1; Malach. 1, 3; Euang. Ioann. 12, 40; Roman. 9, 18), haec uerba negatiue accipienda

sunt, ut „non praedestinare ad uitam beatam“ significant, ideoque ne cum his quidem uerbis uerba „uelle“ et „placere“ proprie iunguntur.

3961—77 ostenditur, omnem uirtutem esse gratiam primam, eamque neminem mereri; cfr. PL. 2, 27, a, g; PP p. 1043 sq. — 3966 sq.: scilicet peccatorum dimissionem motu uirtutis meremur; sed „bonum esse“ idem est quod „uirtutes habere“, nec uirtutes ipsas meremur, sed gratis nobis infunduntur, cfr. u. 3257 sqq.; 3881 sqq.; 3920 sqq. 3974 attamen . . non est: scilicet id mereri non potest, quia nemo a labe resurgere potest nisi ita, ut uirtus ei denuo infundatur. id quod tantum gratis fit. 3975 sqq.: similiter nec iustus prece sua pro alio mereri potest, ut praedestinetur, quoniam praedestinationis causa Dei sola gratia est, quam nec sibi nec alii quisquam mereri potest. — Huic disputationi et maxime iis, quae u. 3970—74 dicta sunt, u. 3978—85 hoc adnectitur, bona opera tempore culpae patrata non illa quidem gratiam primam mereri posse, sed tamen non inutilia esse, immo tribus modis proficere; deinde u. 3986—89 exponitur, quomodo quis uirtutum munere „dignus“ uocari possit, quamuis nemo uirtutem mereatur, cfr. PP p. 1047—48.

3990—4003 ostenditur, nos quidem aeternam uitam mereri non posse, ut uelut ex meritis debita nobis fiat, sed augmentum uirtutum nos mereri et nobis et aliis posse, et quomodo hoc fiat. His adiungitur quaestio, cur Paulus, cum hoc augmentum prece consequi studeret, exauditus non sit, u. 4004—33. — 3990 cfr. Augustinus apud PL 2, 27, g: „cum coronat (sc. praemio uitae aeternae) Deus merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua. Unde uita aeterna, quae in fine a Deo praecedentibus meritis redditur. quia et eadem merita, quibus redditur, non a nobis sunt, sed in nobis facta sunt per gratiam, recte et ipsa gratia nuncupatur, quia non meritis datur, sed quia data sunt per gratiam et ipsa merita, quibus redditur“; cfr. etiam PP p. 1195. 3991 successura = ita ut necessario, quia debetur nobis, successura sit. 3992: cfr. 3263. 3993 sqq.: non iniuria nobis fit, si post mortem uita aeterna nobis negatur, scilicet quia, etiamsi omni culpa usque ad finem uitae caremus, tamen etiam omni merito, quo eam adipisci possimus, caremus, cum meritum omne ex Dei gratia nobis ueniat. 4004 Dixit Andreas supra, iustum impetrare augmentum uirtutum, si in illis perduret; cur igitur Pauli hoc facientis preces auditae non sunt? Cfr. PP p. 1198; Hugonis adnot. elucidatoria in Corinth. II. 4013 sine condicione, sc. illa, quae a sancto Iacobo praescripta est, cfr. u. 4018. 4014 et sine peccato = et tamen s. p. 4016 ratione repulsae = ex hoc ipso, quod repulsam tulit. 4020 totiens: nam ter se petisse dicit. 4023 sqq. His interrogationibus, quae similitudinis causa proponuntur, negatiuum responsum reddendum esse appareat; nam simoniam eae preces eaque obsequia, quae commemorantur, pariunt, cfr. schol. ad u. 2844 sqq. 4031 „magis“ dicitur ratione habita

eorum, quae u. 4009 sqq. dicta sunt: magis ideo petiuit, quod intendit, ut . . rebellis, quam quod sperabat se diuini uerbi . . cibaret.

4034—95 ostenditur, patres antiquos meruisse illos quidem uitam aeternam, ut certe aliquando liberari ex inferno et erui debuerint, nec ultra summum iudicium ibi detineri potuerint; redimi tamen ante hoc tempus non potuisse nisi sanguine Christi, nec per suffragia uiuorum nec per suum meritum, licet haec adiuuans causa fuerit incarnationis Christi, qua redimendi essent; cfr. PL 3, 18, e; 19, d; PP p. 1137 sqq.; 1206 sqq. His adiungitur disputatio de suffragis uiuorum, quomodo mortui ea promereret potuerint, et num omnibus mortuis prosint, u. 4096—130, cfr. PL 4, 45, b. e; PP p. 1267 sqq.; denique u. 4131—35 exponitur, qua uezatione et qua spe antiqui in inferno fuerint. — 4038 cfr. Psalm. 32, 19; 85, 13 al. 4039 sqq.: sed cum omnes antiqui ex eadem causa (scilicet propter peccatum Adae) in inferno detinerentur, et tamen alias, quamvis meritum eius maius esset, diutius ibi maneret, alias uero, cuius meritum minus esset, multo breuius detineretur, Deus iniuste eos tractasse forsitan uideri possit; quaerendum igitur est, nonne Deus, qui omnia iuste facit, omnes semper simili ratione ibi detinere potuerit, ita scilicet, ut detentionis spatium pro meritis eorum maius uel minus fieret, cum contrarium factum esse uideatur. Hanc dubitationem Andreas dissoluere non audet; hoc tantum dicit u. 4045 sq., fortasse auxilium Dei usque ad supremi iudicii tempus iure differri potuisse, sed non ultra. 4049 mortis acerbae poena, sc. si quis in foro ciuili ad eam patiendam damnatus est. 4052 ipsius = uitae perennis; pendet a u. q. e. „condignum“. 4053 sqq. cfr. Roman. 8, 18. 4076 sic licet &c = et quamvis sic nihil nisi uoluntas Patris, assensus Filii, bonitas Spiritus sancti causa efficiens fuerit (eius, i. e.) huius tantae Creatoris dignationis, qua incarnari et nos redimere uoluerit. 4079 benignum = Dei gratiam et benignitatem. 4080 bonorum = iustorum 4048 = patrum antiquorum. 4087 maior, sc. gratiâ omnium aliarum feminarum. 4090 tanta = propter magnitudinem suam. De u. 4088—90 cfr. scholia, in quibus primus locus, qui affertur, sumptus est ex cantico in benedictione cerei paschalis (cfr. Danielis Thes. hymnolog. II p. 304: „O certe necessarium Adae peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem!“). Ceterum idem fere dixit Ambrosius in enarratione psalm. 39 (cap. 20 edit. Benedict.): „(Adam erat casurus,) ut redimeretur a Christo. Felix ruina, quae reparatur in melius!“ — 4098 et ipsa, sc. suffragia ecclesiae. 4099 Sed = Certe, sed. 4102 citius fruituro = ut citius frueretur. 4106: ergo, quod Augustinus hic illo uerbo „damnatio“ usus est, ostendere uidetur eum sensisse, etiam damnandis suffragia ecclesiae prodesse; nec id tamen certum est, quoniam „damnatio“ interdum „poenam“ tantum significat. 4120 claudendas

fine: quales sunt poenae ignis purgatorii. (Schol. 4131: de hymno paschali cfr. Danielis Thes. I p. 83; locus Bedae affertur a PL 4, 1, f.)

4136—64 ostenditur, opera ueteris legis patribus antiquis meritoria fuisse, ut per ea uitam aeternam mererentur, et occasione data praecipue de sacrificio Abrahae disputatur; Christum quoque lege seruanda meruisse et sic nobis exemplum idem faciendi dedisse. Additur u. 4165—82, secundum quosdam per opera legis etiam sola praeter fidem iustificatos esse homines, sed hanc sententiam Andreas cum Paulo improbat dicens, iustificationem ex fide uirtute gratis data uenire; deinde de differentia circumcisionis et baptismi, quod ad uirtutes dandas pertinet, disputat. Cfr. PL 4, 1, b; PP p. 1143 sqq. — PL 4, 1, f. k; 2, a; 3, l; 4, f. h; PP p. 1140—42; 1232 sq; Andreas tamen ab iis in quibusdam dissentit. — 4136 opera ueteris legis: Andream hic non minus de caeremonialibus ueteris legis mandatis cogitasse quam de moralibus, quae decalogo continentur, ostendit, quod infra praecipue de sacrificio et circumcisione loquitur. 4139—40: haec cum Beda dicit Andreas; Bedae locum, qui in scholiis affertur, habet etiam PP p. 1145, sed is tamen „legem“ hic „de solis moralibus cum gratia habitis“ intellegi uult. 4141 amore iubentis: haec urgenda sunt; nam eo ipso, quod legis opera in caritate fiunt, meritoria fiunt. 4143 iubenti, sc. filium Isaac ab eo sacrificari. 4148 sq.: patrasset opus, quod iure laudari deberet, itaque hoc opus fuisset opus amoris eoque meruisset. 4150: Quamuis hoc ipsum, genitorem filium suum mactare, malum semper et illicitum sit ideoque semper Deus tale opus oderit, tamen Abram &c. 4160 sq.: cuius omnis actio fuit lectio nostra, qua nobis, membris suis, ipse caput formam recte uiuendi tradebat. Haec sententia: „Omnis Christi actio fuit nostra lectio, omni opere, quod uoluit dixit fecit, nos instruxit, omne ad salutem nostram rettulit“ saepius apud PP recurrat (p. 1148. 1190. 1198), qui unde sumpserit nescio; cfr. etiam supra u. 2658 sqq. et infra u. 6288 sqq. 4162 legem seruauit, et moralem et caeremonialem (cfr. u. 6240 sqq.); sed u. 4164 „lex“ de morali tantum intellegi posse uidetur. — 4165: Quidam, non meritoria tantum simpliciter opera legis centes, summam uim ad merendum iis attribuerunt, ut etiam sola sine fide hominem iustificare posse putarent; nam u. 4168 sq. „praeter gratuitam lucem &c“ — praeter fidem, sine fide; cfr. u. 3258. 4170 sqq.: Non legem reprobans &c.: Andreas quidem cum Paulo facit hunc errorem damnans; sed tamen haec ipsa uerba „non legem improbans“ ostendere uidentur, eum non eo usque progredi, quo PL 4, 1, b et PP p. 1145, qui per caeremonialia, etiamsi fierent in caritate, neminem uitam aeternam meruisse censem eaque ad significandum modo, non ad iustificantum instituta esse contendunt; contraria Andreae sententia et ex iis elucet, quae supra disputauit 4136 sqq., et ex iis, quae infra de circumcisione uirtutes dante dicit.

4172: ostendens iustificationem ex prima uirtute gratis data (i. e. fide), non ex lege uenire. 4174 sqq.: Plus (certe) baptismus agit quam circumcisio, quoniam non ex hac uirtutes dabantur, sed tantum in hac, cum ex baptismo uirtutes et dentur et augeantur; (sed tamen etiam circumcisio uirtutes tribuebat, ideoque ea quoque ad iustificationem valere poterat). 4178 sqq.: haec contra PP p. 1141 et PL disputat; hic quidem 4, 1, k dicit: „in circumcisione peccata solum dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adiutrix nec uirtutum possessio uel augmentum ibi praestabatur ut in baptismo, ubi non tantum abolentur peccata, sed etiam gratia adiutrix confertur et uirtutes augentur.“ 4182 peccata remittens — si peccata remittit, ut illi censem.

4183—245 ad gratiam considerandam reuertens scriptor demonstrat, gratiae etiam minimae auxilio nos omni temptationi resistere posse, ideoque gratia accedente nos fortiores fieri, quam antea solis naturae donis fuerimus, etiamsi post gratiam acceptam semper Dei auxilio nouam semper gratiam nobis offerentis egeamus; itaque cum semper Dei auxilium accipere possimus, praeterquam quod libero arbitrio utamur, neminem nisi sua culpa cadere. — 4184 cuius, i. e. gratiae; huius comes est Deus et omnis (alia) uirtus et (in primis) dilectio, quam scriptura sacra (cfr. Cantic. cantorum 8, 6) fortem esse dicit ut mortem omnia tollentem. 4186 ei, i. e. gratiae. 4188—97 primum argumentum affertur, quo probari uidetur, nos etiam tenuissima gratia omni temptationi resistere posse. Ceterum hoc argumentum iam u. 4188—93 absolutum est; u. 4194—97 tantum idem repetitur aliis uerbis. 4190 strenuitas animi, i. e. naturalis fortitudo, quae tantum naturae donum est, non donum gratuitum. 4191: ergo magis omnis uirtus (= gratia) sufficere uidetur et posse resistere. 4198—203 alterum argumentum profertur, quo idem probari uidetur. 4199 ex habita uirtute — ex uirtute uel gratia, quamcumque habes, quaecumque tibi data est. — His ergo argumentis probatum esse uidetur, uirtutis gratia accepta fortiores nos quam antea factos esse; iam u. 4204—26 obiectio infertur, qua probari uidetur, e contrario nos infirmiores factos esse ad temptationibus resistendum; nam cum antea solis naturae donis stare possemus, post uirtutes acceptas semper nos diuino auxilio, semper noua gratia egere, ut stemos; cfr. u. 2430—47. 4206 sqq.: sed quamuis ipso (primo homine solis naturae donis instructo) melior sit is, qui omni uirtute nitescit, hic tamen, cum semper in se causam compulsiuam habeat, temptante cadet prostratus ab Hoste, nisi... opem. 4211 uisum = uidendi facultatem, quae in hac similitudine pro „uirtute“ est, sicut „lux extera“ nouae gratiae respondet. 4215 diuina = a Deo. 4216 Quamuis — Quamuis enim. 4220 si sufficiat... permanet — si sufficeret... permaneret, cfr. u. 3737 sqq. 3878 sqq. uirtus infusa — uirtus semel infusa. 4221 uitanti — ut uitare possis (uel: posses). — 4222: quo bonus esses per te, sine Dei auxilio. 4223 primaria = proxima. 4224: licet causa

remotior a Deo sit; nam haec causa remotior est ipsa uirtus semel infusa, quam Deus dedit. — 4227—35 Andreas huic obiectioni ita respondet, ut illud quidem concedat, nos Dei auxilio semper egere, sed tamen contendat nos per infusam uirtutem habiliores fieri ad resistendum temptationi (4227 Quamuis = Sed quamuis); deinde duobus argumentis ostendit nos, si nihilominus hac uirtute accepta cadamus, nostra culpa cadere; prius argumentum u. 4236—39 continetur, alterum u. 4240—45, nam 4240 sq. = Praeterea, si iis uiribus, quae tibi antea collatae sunt, stare nequeas, nouas uires, quae a Domino semper offeruntur, accipe. 4244 prouentum = nouam gratiam, qua uirtutum uires antea collatae augeantur.

4246—52 explicatur gratia praedestinato data, et quomodo praedestinatus in hac re a praescito differat. — 4246: accipit (hanc gratiam), ut stet in uitae fine beneque hanc uitam relinquit; qui (= itaque is), si cadat aliquando in uitae spatio, tamen ante uitae finem resurget — 4253—66: propter ea, quae supra 4188—97 dicta sunt, quaedam hic adduntur de caritatis uia ad temptationes repellendas. — 4256: (ergo) ad conquirendum &c. 4259 temptationis quamvis maxima, cfr. u. 4194; ergo dicitur: „aut etiam dilectio, quamvis exilis sit, ad contempnendam mortem ualeat“. 4263: immo quod eius libera uoluntas ad ea propendeat, quae uitanda sunt.

4267—449: Dictum iam est de tribus uirtutibus theologicis et de quatuor uirtutibus cardinalibus; sequitur hinc tertia uirtutum diuisio per septenarium (cfr. PP p. 1078 sqq.), disputaturque de septem illis uirtutibus, quae septem dona Spiritus sancti uocantur propter locum Isaiae 11, 2 sq.: „Et requiescat super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini“. Andreas illas inuerso ordine tractat, simulque de septem peccatis mortalibus his uirtutibus oppositis disputat, item septem beatitudines septemque petitiones, quae iis respondent, breuiter attingit. Cfr. PL 3, 34—35; 2, 42, h; PP p. 1079—87; HS tract. 3 cap. 17; item Hugonis adnot. elucid. in prophetam Abdiam (in fine), et alleg. in euang. Matth. cap. 1—19.

4267—79: de septem donis in uniuersum, ubi ostenditur, cur rite „uirtutes“ uocentur. — 4269 major, sc. quam in ceteris eius donis. 4274 timor quoque uirtus = et timor uirtus donata. 4275 sq.: Hinc, quod dona sunt uirtutes, etiam „uirtus“ quae proprie uocatur (i. e. „fortitudo“), inter septem dona locari debuit, quam iam antea unam ex numero quatuor uirtutum cardinalium fuisse uidimus. 4278 ad quas.. uenitur = cum ad „uirtutes“ a „donis“ ueniatur scriptura teste, in qua legitur: „alii (per Spiritum datur) operatio uirtutum“. 4279 effectus eius, i. e. miracula.

4280—393: de timore, ubi enumeratis uariis timoris speciebus ostenditur, timorem tantum initialem et castum (siue filiale) uirtutis nomine dignum esse. 4291 iustitiae partem utramque, puto, qua et mala uitamus et bona facimus. 4292 castum, sc. timorem. 4298 sqq.: Etiam reuerentia obsequiis mixta usus (= effectus et manifestatio) est huius timoris, quem solum timorem Christus habebat; et hunc usum timor in patria caelesti seruat, nec umquam desinit; cfr. PL 2, 34, c extr. et k. 4306 sqq., cfr. infra 7423 sqq. 4308 eius proles, i. e. hic ipse timor. 4310 sq.: „non fuit iste timor concreatus homini, nec de bonis naturalibus“ PL. 4312 sq.: Seruilius (timor) bonus est, quia amorem introducit, sed non meritorius est, utpote qui nondum ab amore ita informatus sit, ut uirtus fieret et eius motu mereremur. 4314 linum significatur, quo sutor calceamenta consuit; similitudo, quam et PL et PP habent, ab Augustino petita est. 4322 uerba q. s. „uult, desiderat, appetit“ scilicet „animum“ significant, cfr. 3161. 4325 „bonum“ h. l. = utile; sed 4329 „bonum“ = meritorium. 4330: prosit amore carenti (ad hoc), ut m. d. 4332 sqq.: non quia (possessorem suum) faciat seruum p. a. p. (nam sic esset malus), sed (ideo, quod) serui ritum seruat, quia (is), quem seruire . . . timoris, non ad amorem . . . immo (ad) timorem. 4339: „initialis“ hic timor uocatur, quia „est in inchoata caritate, non in perfecta“ PL. uelut . . . respiciens, cfr. u. 4290. 4340 oculum s. utrumque, cfr. Petrus Cantor Verbi abbreviati cap. 25: „Duo fines sunt, inter quos debet concludi omne opus, timor poenae et amor Dei. Scilicet oculus sinister ad supplicium (respicit), oculus dexter ad diligendum Deum.“ 4341 sqq.: Hic uerbum q. e. „initium“, unde „initialis“ hic timor appellatur, non, ut in priore (i. e. in seruili timore, qui in praecedentibus descriptus est, cfr. u. 4318), de exteriore initio (et occasione caritatis) intellegendum est, sed de interiore, i. e. de eo initio dilectionis, quod secum habet et comitatur sapientia, cuius lucem ferre non potest caligo timoris seruili, sed ei cedere cogitur. (Ceterum Andreas uerba illa scripturae, q. s. „timor Dei est initium sapientiae“, sic intellectisse uidetur, ut genetiu[m] possessiu[m] faceret, non obiectiu[m], quoniam sic dixit: „quod habet sapientia secum“, non, ut expectandum erat: „quod habet sapientiam secum“.) Cfr. PP p. 1082: „seruili timor aliter dicitur initium sapientiae et aliter timor initialis, quia timor seruili est initium ad sapientiam, initialis uero est initium in sapientia; qui est quasi pars sapientiae, quia habetur cum caritate, sed timor seruili . . . praecedit caritatem“. In Ecclesiastici cap. 25, 16 legitur: „timor Dei initium dilectionis eius“. 4345: quorum poena debita completa esse (= an nondum completa sit) dubitatur. 4366 quamuis . . . decrescat, cfr. u. 3625 sqq. 4394—401: de pietate. 4398: secunda (illorum) septem, quae &c. Apud Petrum Cantorem l. l. cap. 15 et 114 eadem significatur interpretatio allegorica scalae Iacobi, ex qua

septem illius scalae gradus septem uirtutes septemque beatitudines in Christi oratione de monte habita nominatas designare debebant. — 4402—7: de scientia. — 4408—12: de fortitudine; nam u. 4408 „quartae“ = fortitudinis s. uirtutis. — 4413—18: de consilio. — 4419—28: de intellectu. — 4429—36: de sapientia. 4430 artem = diuinam sapientiam. — 4437—49: Conclusio. 4443 quod congrueret .. donis: haec copiose persecutus est Hugo l. l., qui dicit primam petitionem esse contra superbiam, sex reliquas suo ordine contra inuidiam, iram, acediam, auaritiam, gulam, luxuriam.

## LIB. VIII.

\* Finito per duos libros praecedentes tractatu de uirtutibus hinc incipit tractatus de peccato libros duos sequentes occupans. Et octauo quidem libro primum de peccato Euae et Adae et de effectu peccati Adae disputatur (4450—558—595), tum de libertate arbitrii (— 4681), deinde de potestate peccandi et recte faciendi (— 4777) et de peccato actuali (— 4908), deinde de peccatis redeuntibus (— 4980), denique de peccato contra Spiritum sanctum (— 5083).

4450—558: quaeritur de peccato Euae et Adae, omnis peccati et corruptionis radice, et quaenam eius fuerit causa in utroque; deinde quaeritur, uter plus peccarit, Adam an Eua, ubi inseritur disputatio de ignorantia, quantum et quomodo ad peccatum excusandum ualeat, et num ipsa culpa sit; ad postremum adiungitur quaestio, num Adam plus omnibus peccarit. Cfr. PL 2, 22; 3, 15, b. c; 2, 33, f. g. PP p. 1011—14; 994 sqq. et 1204; 1023 sq. HS tract. 3 cap. 6; de sacram. I. part. 7 cap. 10. — 4451 elatio mentis, cfr. Ecclesiastici c. 10, 15; haec ergo superbia, per temptationem prouocata, in Eua culpare causa fuit, nec (u. 4453 sqq.) dubitatio, ut propter adiectum in Euae responso aduerbiu „forte“ aliquis forsitan suspicari possit; dubitatio enim elationis poena est, nec eam antecedit sed sequitur. Ceterum Andreas ipse supra 2108 sqq. aliter de huius aduerbiu ui iudicauit dubiamque Euae mentem eo significari dixit; ac difficile sane est intellegere, quomodo arbitrii libertas eo significari potuerit. 4456 uel, quia non cauit fraudem, peccauit: ex hac igitur interpretatione imprudentia Euae culpare causa fuit; hanc tamen sententiam scriptor minus probasse uidetur. 4466 nec sic errauit ut Eua: id est: ita, ut superbiens se Deo similem fieri posse crederet. 4467: „In eo tamen fuisse seductum credi potest, quod commissum ueniale putauerit, quod peremptorium erat“ PL. 4475 Ad deuitandam.. scire: hoc scilicet illud ipsum est, quod u. 4471—73 Adam ante statum culpae

sciusse dicitur; hoc necesse est eum sciusse, quoniam, si hoc nesciret, ignorantia laboraret; sed hoc fieri non potest, cum haec ignorantia eius, quod sciri debebat, poena sit, nec poenam praecedere culpam iustitia Dei patiatur. 4484 sq.: quae discordare uidentur: nam in epist. ad Roman. 5, 14 Adam praeuaricator fuisse dicitur; contra in epist. ad Timoth. I, 2, 14 idem apostolus dicit Adam non seductum esse, mulierem uero seductam in praeuaricatione fuisse. Iam apparent hos locos scripturae, qui primo aspectu discordare uidentur, re uera non inter se pugnare, si recte intellegatur, quid illud uerbum „seductus“ significet, scilicet mulierem elatione captam fuisse, quae non, aut certe non tanta, in Adam fuerit. 4486 ignorans — etiamsi ponamus ignorasse Euam &c.; contra eos scriptor disputat, qui Euam ut ignorantem minus peccasse dicunt quam Adam, qui scienter peccarit, et propter haec sequens de ignorantia disputatio argumentationem interrumpens interponitur. — 4497 cfr. infra u. 5785 sqq. 4498 est facti — pertinet ad factum, ut ignoretur, utrum aliquid factum sit an non. 4499 supina — ex superba neglegentia orta, ut illud factum ignoremus, quod scire et debemus et possumus. 4500 est quaedam iuris: puto, qua ignoramus, utrum aliquid facere debeamus necne. 4501 cfr. 4510 sqq. 4502 est quaedam causae poenalis: hoc non intellego, nisi forte significatur ignorantia ex peccato originali orta et illa corruptione, qua illud humanam naturam uitauit; haec ignorantia poena peccati est, sed non ipsa peccatum, ex Augustini quidem sententia, cfr. eiusdem de libero arbitrio lib. III cap. 18—21; retract. I, 9; de bono perseuerantiae cap. 11—12; inuincibilis tamen haec est, et hic potius uincibilis aliqua significari debere uidetur. 4505 simplex ignorantia: cfr. u. 5056 sqq. 4511 ob culpam, scilicet quam commisit non rite exercendo officio, cuius nescius est. 4512: licet ignorantia duret etiamnunc in eo, qui per cordis contritionem a culpa liberatus est; ex hoc ipso apparet, hanc ignorantiam per se non esse culpam, idemque 4513 sqq. uberius demonstratur, cum ostenditur eam nec actus peccatum nec originale peccatum esse, quae duo sola genera peccati sunt. Distinguitur enim inter peccatum actus (s. actuale, quod per actum aliquem aut uoluntatem committitur) et peccatum originis (s. originale, quocum propter primum peccatum nascimur); prius actu transire sed reatu permanere dicitur (i. e.: perfecta actione non iam actu in homine est, reatu uero etiamnunc in eo est, cum pro eo, siue actio transierit siue adsit, mens hominis polluta sit et corrupta totusque homo suppliciis obligetur); alterum uero transit reatu siue culpâ, cum per baptismum dimittatur, sed actu remanet, cum concupiscentia carnis non prorsus absumatur et extinguitur; cfr. PL 2, 32, b; 42, d; PP p. 991 sq.; 999 sqq. 1022. 4515 dum — dummodo. delictum, sc. actus. 4518 ipsa — ignorantia. 4523 propter hoc — hoc ipso consilio, ut reatum excusaret; sic enim se reatum committere scisset. — 4532 a

digressione ad propositum redit scriptor tres causas afferens (4532. 39. 42), cur Euam plus quam Adam delinquisse putandum sit. 4539 sceleratior = ideoque sceleratior fuit. 4546 sqq. refellit obiectionem aliquam ex uerbis Augustini (*de Genesi ad litt. XI, 35*) petitam, quae u. 4546 paululum mutata adfert; sed aliter refellit atque PL et PP. 4549 sq. sensus hic est: Ut superbia maximum peccatum est, quia omnibus peccatoribus commune est, sic etiam cognitione et uisu Dei carere maxima poena est, quia omnibus damnandis haec poena communis est; cfr. PP p. 1139: „Alibi dicitur, quod grauissima poenarum est carere uisione Dei, licet alibi legatur mitissima, quod ita intelligitur: Mitissima est quantum ad sensum, quia ex hoc, nisi aliud assit, nulla sentitur poena; grauissima tamen est quantum ad damnum, uel grauissima, id est generalis, quia, quicunque punitur in inferno, caret uisione Dei.“ — 4556 commissi ratione, i. e.: si ratio habetur donorum, quae Deus ei commiserat. 4557 quod plus deliquerit = quod simpliciter et absolute plus deliquerit et maius peccatum commiserit. Ceterum hanc quoque quaestionem aliter tractant PL et PP.

4559—95 ostenditur, per actuale modo Adae peccatum naturam hominis corruptam ita esse, ut non possit non peccare, nec tamen hominem peccantem eo excusari; cfr. PL 2, 22, g extr. — 4559 Non = Non tamen, quamuis Eua plus peccarit. 4562: ergo Euae culpa pro culpa uoluntatis habetur, Adae uero pro culpa actus; similis quaedam disputatio ex Augustino petita apud PL 2, 24, f—i inuenitur. 4567: poena . . . per esum Adae, eumque demum secuta est, non Euae culpam nec Adae uoluntatem edendi. 4568 sq.: idem fere dicit PP p. 1016 med. 4571 ne non delinquere posset = ut amitteret potestatem reatus uitandi; cfr. Aug. *de lib. arbitr. III, 18*: „Illa est peccati poena iustissima, ut amittat unusquisque, quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si uellet; id est autem, ut, qui sciens recte non fecit, amittat scire, quid rectum sit, et qui recte facere, cum posset, noluit, amittat posse, cum uelit.“ 4573: ante culpam prauae uoluntatis (i. e. ante culpam, quam contraxit praua uoluntate in eo ipso posita, quod reatum uitare nolebat) Adam reatum uitare noluisse falsum esse apparent, immo liquet eum ante hoc tempus bonam habuisse uoluntatem, qua reatum uitare uellet. 4574 sq. sed nec (= praeterea non) potuit eodem tempore aliquid (ut hoc loco: reatum uitare) simul uelle et nolle; ergo ex hoc quoque idem apparent, ante culpam prauae uoluntatis nullam aliam malam uoluntatem in Adam fuisse, ut quidam putabant (cfr. PL 2, 22, m; PP p. 1032; HS tract. 3, cap. 6 med.). 4575 sqq. relinquitur ergo &c. Haec conclusio subobscura est, sed lucem accipit ex iis, quae PP et H l. l. disputant, unde apparent sensum hunc esse: nulla alia mala uoluntas in Adam eam uoluntatem malam praecessit, qua edere uoluit, et quae actum edendi praecessit et comitabatur; sed omne peccatum mortale necesse est praecedat motus

liberi arbitrii ad peccatum; necesse est ergo, peccatum mortale, ob quod Adae mortis poena inficta est, fuisse tantum actum ipsum edendi, non uoluntatem edendi, quae tantum fuit ille liberi arbitrii motus, qui peccatum mortale praecedere debebat. 4579 sqq. proponitur obiectio ex iis, quae u. 4571 sq. dicta sunt, petita, cuius haec uis est: „ergo homo peccans necessitate peccandi excusatur“; cui statim respondetur hic uerbis: „nec (tamen) hoc . . . ualet excusare reatum; nam necessitas peccandi, quam praecedens culpa produxit, peccantem non excusat“. Ostenditur deinde u. 4583–95, quomodo homo non possit non peccare. 4585 nec solum — ne unum quidem.

4596—681: de libertate arbitrii; cfr. PL 2, 24, e; 2, 25; PP p. 1031 sqq.; HS tract. 3 cap. 8—9. — 4596—606 primum ostenditur, per necessitatem peccandi supra commemoratam arbitrii libertatem non tolli. 4602 sq.: si metuas, ne ipse perimaris, nisi alium tibi carum perimas, non tamen hunc perimere debes, sed carius tibi sit te ipsum perimi. 4605 hinc non . . . cogeris — hinc intellegi potest, te non . . . cogi. — Deinde u. 4607—14 demonstratur differentia libertatis boni hominis et mali. 4607 in hoc — hactenus. A necessitate omnes liberos esse, a peccato tantum bonos, a miseria neminem in hac uita ostendit PL. 4608: bonus autem non ab hac modo necessitate, sed etiam a culpa liber est, quia per gratiam non iam peccati seruus est. 4613 sq.: non citius claudis ocellos, ut nihil aspicias, quam reseras eos, ut prospicias, etsi hoc sine lucis auxilio facere non potes; per hoc simile ostenditur, libertatem mali hominis, etsi per se ad mala sufficiat (sicut omnis sine auxilio oculos claudere et nihil uidere potest), non maiorem esse quam libertatem boni, etsi hic ad bona facienda gratiae luce et auxilio egeat (sicut ad uidendum luce egemus). — Tum u. 4615—28 quaeritur, num praeter hominem etiam in aliis liberum sit arbitrium, et ostenditur, quid de Deo et de angelis iudicandum sit. 4615: Excipitur solus Deus, ut in eo certe non ea sit arbitrii libertas, quae in ceteris est; ceterum uerba hic afferuntur Hieronymi, quae habent etiam PP p. 949 et PL 2, 25, d. 4618 sqq. de angelis cfr. etiam PP l. l.; PL. 2, 5, b; 2, 7, b. c. 4622 ne . . . fiat = quod sic distinguo, ne ius (in utramque partem uergendi) intra huius saeculi spatium iis concedatur. 4623—25 obiectio proponitur, quae deinde statim refutatur 4626 sqq. 4627: si affirmatiue intellegitur, ut „non temptat“ idem sit quod „uitat temptare“, Daemon et temptando et non temptando semper male agit. — Denique u. 4629—81 ostenditur, quid sit liberum arbitrium; hoc ut appareat, de tribus animae uiribus disputatur et praecipue de ratione; inde postremo explicatur, cur animalia bruta liberum non habeant arbitrium. 4629 sqq.: Sunt tres animae uires, una scilicet rationalis, qua discernimus, utrum bona an mala sint ea, quae aut altera ui (scilicet concupiscibili) cupimus, aut tertia ui (scilicet irascibili) detestamur. Est haec antiquae philosophiae diuisio, quae tres

animae vires facit: τὸ λογικόν, τὸ ἐπιθυμητικόν, τὸ θυμικόν; cfr. August. de spiritu et anima cap. 65. 4634: causidicorum scilicet loco sunt uis concupiscibilis et irascibilis; iurisperiti locum obtinet uis rationalis. 4635 ista, sc. uis rationalis. 4636 allegant, scilicet ad impulsus suos commendandos et defendendos. 4640 sqq. cfr. PP p. 1029 sq.; ostenditur liberum arbitrium a ratione distinguendum esse, et ratione numquam peccari. 4641 sq. Ratio... credit agendum: hinc ergo efficitur, Satanam non affirmatiue ex ratione peccare (— et quod de Satana dicitur, idem scilicet in hac re de omni peccatore dici potest —); deinde u. 4643—46 additur, ne negatiue quidem Satanam ex ratione peccare, id est ob eam causam, quia ratione deficiatur peccans, sicut ne ex spe quidem aut dilectione peccare dici potest negatiue, ideo quod et spe et dilectione deficiatur peccans. Hoc posterius u. 4647—53 explicatur, sed ita, ut non iam de Satana, sed de homine peccante scriptor loquatur; deinde u. 4654 sqq. ad prius reddit ostendens, ratione ne affirmatiue quidem peccari. 4647 ex hac — ex ratione. qui non discernit &c: scilicet quia clara ratione destituitur. 4654—59: ex his appareat, ratione ad uoluntatem et ipsum actum peccandi non perueniri, quippe quae hunc actum et hanc uoluntatem urgenter dissuadeat; quod autem peccare omnino uolenti et re uera peccanti ita auxiliatur, ut idoneam agendi occasionem ei procuret, eo non peccat. 4660 sq. proponitur obiectio eorum, qui censem ratione tamen aliquatenus peccari, si ratio uoluntatem peccandi non cohipeat; sed hanc obiectionem statim refellit scriptor u. 4662 sqq. 4662 Sed — Certe (hoc facere debet studere), sed &c. 4677 quod, i. e. arbitrium liberum.

4682—777 disputatur de potestate peccandi et recte faciendi (cfr. PL 2, 44, a. b; 2, 26, a—i; 2, 39, c; 2, 35, f; PP p. 1037 sqq.); his adnectitur disputatio de peccato actuali (cfr. PL 2, 34—37; PP p. 972—87; sed Andreas multa aliter tractat). — 4682—85 haec disputatio cum praecedenti de libertate arbitrii ita coniungitur, ut dicatur, hanc arbitrii libertatem non esse potestatem peccandi, quod sic demonstratur: „si currendo quis peccat et peccatum est currere, potestas currendi eadem est quae potestas peccandi; itaque, si potestas peccandi esset arbitrii libertas, etiam potestas currendi esset arbitrii libertas; sed hoc ineptum esse per se apparent.“ Deinde tres de potestate peccandi sententiae proponuntur, quarum prima u. 4686—704 tractatur. 4686 quod constat uerum — hoc (scilicet, libertatem arbitrii non esse potestatem peccandi) ita maxime uerum esse apparent, si prima illa de potestate peccandi sententia recta sit, quae hanc potestatem, ex corruptione naturae humanae ortam et procedentem, nullam ueram potestatem esse censem. Deinde argumenta, quibus hanc sententiam probare fautores eius studebant, u. 4690—701 afferruntur. 4690 Peccatum nihil est, notio mere negatiua est, cfr.

PL 2, 35, b; 37, a, ubi laudantur „uerba Augustini super Ioannem (1, 3): Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, id est peccatum, quod nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant“. 4691 uerum perdere posse — ueram perdere potestatem. 4698 sqq. Supra u. 4687 dictum erat, potestatem peccandi ex uitio hominis processisse; nunc obicitur, potestatem peccandi etiam in Adam fuisse ante peccatum, ergo non ex uitio ortam; hoc conceditur, sed ita, ut etiam in eo haec potestas peccandi infirmitas quaedam et defectus quidam potentiae fuisse dicatur, etsi in eo non ut in nobis ex poena orta esset. 4703 Demonstratum est, potestatem peccandi non esse ueram potestatem, immo esse nullam potestatem; nunc additur, hanc potestatem, quippe quae nulla sit, non a Domino esse, quamvis (= cum, cfr. Index) omnis uera potestas ab eo sit. 4705 sqq.: hic proponitur secunda de pot. peccandi sententia: „Aut (eller ogsaa) potestas peccandi uera est potestas et sic nonnisi a Domino est, sed ab eo haec potestas homini non ad peccandum attributa est, sed ad recte agendum, et abusus eius ad peccandum a Daemone procedit.“ Haec deinde sententia usque ad u. 4728 et rursus 4766—69 tractatur. (V. 4705 sqq. a praecedentibus spatio diiungi debuerunt; rursus inter 4714 et 4715 nulla diiunctio esse debuit.) 4715 Sic, id est: si potestatem peccandi ueram potestatem esse putamus. 4729—65 interponuntur quaestiones de contraria potestate recte faciendi et de gratia operante et cooperante. 4737: de synderesi, quam uocant theologi, haec habet PP p. 1030: „nullus adeo malus est, quin ratio eius conscientiam remordeat dictans hoc esse malum et illud; haec est illa scintilla rationis, quae etiam in Cain (— et in ceteris malis hominibus et angelis —) non potest extingui, quae a Graecis dicitur synderesis.“ Vocabulum certe speciem quandam Graeci sermonis praefert, sed etymologia eius, quod equidem sciām, ignoratur. 4738 extincta — debilitata. ne quando — ut numquam. 4745 gratuito — gratiae. 4758 uelle bonum — bonam uoluntatem; item 4759 uelle — uoluntatem, et 4760 illud — uelle — uoluntatem; uid. Index. 4759 cfr. Psalm. 58, 11; 22, 6. 4762: haec eadem (gratia) sequitur, ut praestita (recta uoluntas) ad actum surgat. „Operans gratia est, quae praeuenit bonam uoluntatem; ea enim liberatur et praeparatur hominis uoluntas, ut sit bona bonumque efficaciter uelit. Cooperans uero gratia uoluntatem iam bonam sequitur adiuuando.“ PL 2, 26, a. 4765 cum .. dentur — quoniam etiam haec dona naturalia non ut debita meritis redunduntur, sed gratis dantur; cfr. PL 2, 25, h; PP p. 1025. 4766—69 corollarii loco adicitur, potestatem quidem actus mali patrandi a Deo dari, sed uoluntatem peccandi a Deo non esse. 4768 id ipsum — uelle malum — malam uoluntatem. — 4770—77 tertia de potestate peccandi sententia affertur. 4770 dupliciter — dupli significatione. 4773: scilicet, si peccatum priore significatione accipitur, potestas peccandi est potestas patrandi actum

iusto fine (quo ad Deum dirigitur) priuatum, et sic intellecta potestas peccandi a Deo semper est; sin autem peccatum altera significatione accipitur, potestas peccandi est potestas priuandi actum quemlibet iusto fine, et haec potestas nec a Deo est nec uera potestas putanda est.

- Hinc ad tractatum de peccato actuali transitur, in quo u. 4778—831 hoc primum quaeritur, num peccatum, si priore illa significatione accipiatur, ut sit actus iusto fine priuatus, a Deo auctore sit, et eorum sententia proponitur, qui peccati actum a Deo esse dicunt, etsi uitium actus ab eo non procedat; primumque ostenditur necesse esse, Deus sit auctor actionum peccandi et in genere et in specie (— 4795), deinde probatur, Deum illarum actionum auctorem esse, quatenus actus spectetur, non quatenus uitium. 4784 fieret a Satana — a Satana auctore procederet. 4793: cum (necesse) sit genus esse contentarum specierum, i. e. ex iis speciebus constare, quae eo continentur. 4794: sic actio furti, licet mala sit, a Deo est. 4796 Quamuis — Sed quamuis. Ceterum de u. 4796 sqq. cfr. Hugonis Adnot. elucid. in Euang. Ioannis cap. 2 (vol. I p. 338 b): „Non sunt huiusmodi uerba recipienda, quod malae uoluntatis uel malae actionis Deus auctor sit...; ueritas tamen dici exigit, quod omnis essentiae uoluntatis et actionis Deus auctor et causa est. In actu enim homicidii quid est, cuius Deus causa non sit? neque enim, quod leuo manum ad percutiendum, aliunde est quam ex facultate, quam Deus mihi dedit; sed neque ipsum percutere aliunde est. Si autem actus iste, quod manum erigo ad percutiendum pauperem, in eo, quod actus est, attendatur, nihil in ipso reperitur, quare a Deo non sit, magis quam in isto, quod erigo manum ad sustentandum pauperem. Neque tamen peccatum aliquid est, cuius Deus auctor sit; ipsum enim nihil est &c.“ 4800: Sic Deus hunc actum deformem „fecit“, si uerbum „fecit“ de Deo translate adhibitum ad actum modo refertur. 4802 illic — in hac dictione, quae est „furm fecit“. 4807 sqq.: Quod de uerbo „fecit“ dictum est, idem etiam de uerbo „uoluit“ ualet; Deus uoluit ipsam actionem, non uoluit peccatum et uitium actionis. 4807: Sic uoluit Deus Adam illud edere, quod eundem edere uetuit. 4816 dictio = actus dicendi; itemque 4817 credulitas = actus credendi. Sed uerba illa, quae sunt „credulitas contraria dicto“, non intelligere me fateor; intellegererem, si scriptum esset: „credulitas contraria recto“ (uel: uero), i. e. actio credendi, qua falsum creditur. Illud quoque dubito, num his uerbis locus aliquis sacrae scripturae spectetur; ego certe nullum noui, qui apte hoc trahi possit, et Iudee nomine quemuis malum hominem significari potuisse credo. Videatur tamen (Euang. apocryph.) narratio Iosephi Arimath., cap. 1 et 2. 4818 et uult utramque (sc. dictiō et credulitatē) diuisim, i. e. per se, ita ut sola actio dicendi et credendi spectetur. 4819 ipsis, i. e. dictione (uel: credulitate) et falso; uult igitur Deus eum

dicere (u. credere), sed non uult eum dicere (uel: credere) falsum. 4820—22 quorundam scriptor affert sententiam iis contrariam, quae supra (maxime u. 4807 sqq.) exposuit; deinde ipse u. 4823 sqq. (Hoc uerum, sc. est, &c.) ostendit, quid uerum sit, sed in nouo exemplo, cum ostendit, quomodo hoc uerbum „uelle“ dupliciter intellegi possit: „Vere dici potest et ‘Iudam furari uult Deus’ et ‘Iudam furari non uult Deus’; nam uult Deus illud (esse praestando —) eo, quod furandi actioni per suam uoluntatem essentiam dat efficitque, ut sit; et non uult idem Deus, quia non approbat.“ 4823 Iudam furari, cfr. Euang. Ioann. 12, 6. 4825: Deus dictae rei (i. e. furto), quam reprobat et damnat, tamen essentiam tribuit ita, ut non . . ausum, quamvis plerique euentum ipsum (i. e. furtum, quod peccatum est) aliquid esse uel ullam essentiam habere negent, cum peccatum nihil sit; aptum tantum consuetumque loquendi modum hi esse dicunt, cum essentia ei tribuatur. 4830 sq.: Re uera neminem furari uult Deus, omninoque huic uerbo, quod est „uult Deus“, nulla dictio iungenda est, quae uitium significat, qualis est haec ipsa dictio „aliquem furari“ similiterque „mentiri“, „crucifigere Christum“, „edere uetitum cibum“, alia. — Deinde u. 4832—65 quaeritur, num peccatum, si altera accipiatur significatione, ut sit „priuatio iusti finis“ siue „reatus“ siue „uitium“, a Domino sit; negaturque et a Domino sic esse et omnino in rerum natura essentiam habere, cum omne, quod re uera sit, bonum sit et a Deo sit. 4838 omne esse — omnis essentia, omne quod est. 4839 illud — esse, essentiam. 4840 a Domino, qui solus et unicus omnium bonorum auctor est (— comma delendum est —). 4849: non haec priuatio ipsa aliquid esse dici poterit ob eam causam, quod nihilominus (etiam hac priuatione facta) ille actus, quem priuatio deformatum, aliquid erit eoque non minus quam omni alio actu Deus laudabitur. 4852 et in quoouis Auctoris imago relucet: scilicet eo ipso, quod est, sicut Deus quoque est. 4855 posse — potestatem; sensum — sapientiam; his tribus substantiis tres personae diuinae significantur, cfr. u. 176 sq. 4858: hoc nomine „malus“ in illa sententia ‘Iudas est malus“ nihil de Iudea essentia neque de eius proprietate praedicatur, quoniam „malus“ notio mere negativa est. 4860 in hac, sc. oratione. 4862 suppositum esse \* — supposita essentia, quae subiectum est illius sententiae ‘actus est deformis’. 4864 dissimilis: hoc adiectuo et essentia rei alicuius et proprietas notari potest. ipso — culpâ polluto.

4866—73 explicatur, quomodo peccatum interdum haud sane proprio nomine „poena“ vocetur. Huc pertinent ea, quae disputant PP p. 980 sqq. et PL 2, 35, o et 36 (, g); sed apud illos ea, quae de hac re dicuntur, cum iis confunduntur, quae ad alterum illud pertinent, quod Andreas hic seorsim tractat u. 4874—83, scilicet peccatum interdum etiam „poenam peccati“ appellari, et disputatio illorum omnino difficilis intellectu est. Andreas, si uerba eius recte intellego, hoc dicere uidetur:

„Peccatum ‘poena’ dicitur aut eodem modo, quo etiam ignis Gehennae ‘poena’ uocatur, quia, sicut ille instrumentum est, quo punitur peccator, sic etiam peccatum quodammodo ipsum instrumentum est poenae, quatenus eo humana natura corruptitur et obnoxia fit poenae; aut peccatum (sive reatus) ideo ‘poena’ dicitur, quia causa et occasio poenae est, cum eius causa diuina gratia nobis subtrahatur. Sic omne peccatum ‘poena’ dici potest; porro omnis poena passio est; non tamen inde efficitur, omnem passionem peccatum (sive reatum) esse; immo ea sola passio, quam patimur, ut omnes animi perturbationes, quarum impulsu mala committimus, peccatum est, ideoque a Deo auctore non est; ea uero passio, qua patimur, ut corruptio (passione dicta) naturae humanae, quae a Deo nobis ob peccatum inficta est, ‘ipsa non est peccatum sed poena iusta, et in quantum poena iusta est, a Deo auctore est.’ — 4881 Andreas dixit: „peccati meritis debetur &c.“; ob hoc dictum u. 4884—908 disputationem superioribus adiungit, qua ostendit impropte hoc uerbum „mereri“ hic adhibitum esse, et explicat, quomodo hoc intellegendum sit, „ex peccato aliquem peccare mereri“. 4884 Non — Non tamen proprie. 4886 sq. ne pro merito . . inferat ulti: horum uerborum sensus hic esse uidetur: „meritum“ quod uocatur, ad utrumque spectat, et ad seruum, qui meretur, et ad Deum, de quo ille meretur et qui eum meriti causa remuneratur uel ulciscitur nouum ei aliquid tribuens; ergo si peccator prima culpa nouam mereretur culpam, Deus esset, qui pro merito eius eum ita ulciseretur, ut in nouam culpam eum iniceret, et sic Deus nouae eius culpare auctor esset: quod absurdum est. 4889—93 aliud argumentum affertur, quo idem demonstretur, parum recte hoc dici: „primam culpam nouam culpam mereri“; nam si ita esset, prout minor aut maior noua culpa esset, sic minor aut maior poena primae culpare deberetur; ergo non una tantum poena, ut par erat, sed potius omnis poena et cuiuslibet culpare poena primae culpare deberetur; sic res eo ueniret, ut primae culpare, si minimum etiam mortale peccatum esset, maximae cuiuslibet culpare poena deberetur, non ea tantum, quae ipsius propria esset: quod absurdum et iniustum uidetur, cfr. PP p. 983. Deinde additur u. 4897 sqq.: „sed quamus hoc absurdum esse et falsum inde elucere deberet, quod nemo post mortem eius peccati poenam patitur, in cuius reatum non incidit ante mortem (— sicut ex contrario etiam nemo post mortem praemium accipit maioris amoris, ad quem peruenire morte prohibitus est, etiamsi meruisset, ut amor eius maior fieret et augeretur, si diutius uixisset, sed tantum minoris amoris, ad quem re uera peruenit in hac uita —), nihilominus hanc sententiam eorum opinio fouit, qui dicunt ‘lapsum labi in peiora mereri’. 4900 Nec = nec tamen plane.

4909—80 de peccatis redeuntibus disputatur; cfr. PL 4, 4, b; 4, 22, a. b; PP p. 1066 sqq. HS tract. 6 cap. 13. — Primum u. 4909—25 causae uariae, cur redeant peccata, expo-

nuntur, deinde u. 4926—37 ostenditur, quo consilio et quoniam modo redeant. 4909 sq. dicta sunt contra PL, qui 2, 36, g: „inuidia“ inquit „dolor est alieni boni.“ 4917 eius — reatus, peccati. 4921 sq. cfr. Matth. 18, 32 sqq. 4923 quorum — si eorum; nisi dicere malis in u. 4924 et, qui — si is, qui. 4933 sqq.: nec numero idem redeunt reatus, sed specie et quantitate priorum, quamquam interdum ne specie quidem idem redeunt, ne in eodem aduersa peccata sint, uerbi causa ne prodigus extet auarus, quod fieret, si primo auaritiā peccasset, deinde prodigentia, et si propter nouam prodigentiae culpam etiam prior auaritiae culpa rediret. — 4938—80 ostenditur, quomodo hoc explicandum sit, peccata redire, et quem effectum hoc habeat. 4938 secundo — iterum, denuo. 4941 sq.: itaque, si duo aequaliter peccant ex eadem causa, plus tamen . . . alter, quoniam eius culpe, quae redeunt, plures et maiores fuerunt quam alterius culpe redeuntes. 4946 sufficeret, sc. ad eam delendam. tamen . . . uidetur — tamen ne interior quidem contritio (quae plus ualere solet quam poena exterior) sufficisse uidetur, quippe quae non esset duratura. 4952 ante ruinam — ante nouum peccatum. 4954 sq.: „nunc uero, quoniam in noua peccata ruiturus erat, non tamen (ex tunc —) propter culpam tunc patratam, quamvis poena tunc ei sufficere uideretur, satis punitus erat.“ Verba, quae deinde parenthetice, parum sane apte, interponuntur, simile continent, quod aptiore loco post u. 4963 poni debuit, ut ad omnia praecedentia inde a u. 4951 referrentur; ceterum eorum sensus hic esse uidetur: „similiter etiam homo praescitus (i. e. ad poenam aeternam destinatus) gaudia caeli adeptus esset, si tum mortuus esset, quando lumen uirtutum habebat; sed tamen (eam ipsam ob causam, quod praescitus erat) eius uirtutum gratia non semper duratura fuit, sed flatu reatus extinguedi. 4964 sq.: Sic (— si hoc modo intellexerimus, quid fiat, cum peccata redeant) uidebimus Deum non bis in idem iudicare nec duplicem oriri tribulationem, quod scriptura uerissime negat. 4967 culpa, sc. noua. 4968 cadat . . . resurgat — si cadat . . . resurgat; item u. 4970 et 4972.

4981—5083: de peccato contra Spiritum sanctum (et contra ceteras personas diuinas); cfr. PL 2, 43; PP p. 1007—11. Haec disputatio cum praecedenti eo conectitur, quod, sicut dictum est u. 4909 sqq. inuidiam principalem esse causam, cur peccata redeant, sic etiam inuidia contra Sp. sc. peccatur. Primum u. 4981—92 uniuerso de hoc peccato disputatur; u. 4993 sq. parenthetice hic adduntur, ut ostendatur etiam in alia re idem accidere, quod iam u. 4991 sq. dictum est, scilicet aliquid per se fieri posse, nec tamen futurum esse. Deinde u. 4995—5043 de quatuor peccatis, quae contra Sp. sc. committi dicuntur, disseritur ostenditurque impaenitentiam usque ad uitiae finem durantem esse, quae haec peccata hoc nomine digna reddat, et fortasse alia quoque peccata eodem modo peccata contra Sp. sc. fieri posse. 5003 oppositum, i. e. contritio

cordis. 5007 flatibus, sc. inuidiae. 5017 sepulcris — in sepulcris. 5018 cfr. u. 3482 sq. 5030 subiecta — eos, qui his peccatis sordent. — Deinde u. 5044—83 peccata in tres personas diuinias distinguuntur et describuntur. 5046—47 uerba ita interpungenda sunt: . . . peccet in omnes, si large uerba sumantur: quando &c. Sensus hic est: Peculiariter et proprie in Patrem infirmitate, in Filium ignorantia, in Spiritum inuidia peccatur, si strictiore et artiore usu loquendi potestas Patris, sapientia Filii, bonitas Spiritus esse dicitur; sin autem largiore loquendi usum sequimur, quo potestas, sapientia, bonitas ad omnes diuinias personas referuntur, omnibus modis aduersus omnes personas simul peccatur. 5047 potestas . . . bonitas, cfr. 174 sqq. 5049 sq. rectius scriptor dixisset: distinguitur inter tria peccata in totidem personas patrata. 5056 ignorantia simplex cfr. u. 4505. 5060 errantis = ignorantis; Origenis scilicet error et ignorantia non est simplex ignorantia. Ergo his uersibus 5056—60 demonstratur, non inuidia tantum sed etiam ignorantia aduersus Sp. sc̄. peccari posse; rursus u. 5061 sqq. ostendunt non ignorantia tantum sed etiam inuidia contra Filium peccari. 5061 sqq.: multa similia habet Petrus Cantor Verb. abbrev. cap. 11. 5063 primo, sc. Adam. 5064 secundo, sc. Adam (i. e. Christo). 5066 Ioseph scilicet typus Christi est, item u. 5069 Ionas. 5075 auctorem = eum, unde procedit inuidia.

---

## LIB. IX.

Continuatur tractatus de peccato ita, ut primum de peccato originali quaeratur (5084—395), tum de primis motibus ad pec-  
candum et omnino de peccatis uenialibus (—5583), deinde de  
uoluntate et opere (—5659), de uoluntate, fine, actione, inten-  
tione (—5728), de peccato actus et reatu, de peccatis furiosorum  
et ignorantium, de contemptu aliquique peccati circumstantiis &c.  
(—5855). Comparantur denique uirtutes et uitia ita, ut illarum  
uis maior esse ostendatur, finiturque liber adhortatione, ut Deo  
seruire uelimus.

5084—395 continentur uariae de peccato originali  
quaestiones; cfr. in uniuersum PL 2, 30—33; PP p. 1014—24;  
HS tract. 3 cap. 10—12. — Primum quaeritur de huius peccati  
causa et natura, de uariis eius nominibus, de origine eius et  
effectu: u. 5084—144. 5107 ad pecc. proclives — ut ad pecc.  
proclives simus. 5108 uires animae tres, cfr. 4629 sqq. 5112  
quae tamen est poena: haec adiciuntur propter ea, quae dicta  
sunt u. 5096; Andreas igitur hoc ultimum culpae originalis

nomen non prorsus probasse uidetur. 5113 maior, sc. quam ceterarum duarum animae uirium corruptio. 5115 eam — uim cupiscibilem uel concupiscentiam. 5122—26: haec infra u. 5130—32 illustrantur exemplo Lazari resuscitati, cuius carni Deus iterum animam infudit sine coitus libidine. 5124 tali — maculata. 5130 ex animae reditu — post animae reditum, scilicet in resuscitatione. reatum sc. originis. 5131 nec — nec tamen. — Deinde u. 5145—77 ostenditur, animam ipsam, quando creetur, corpori infundi nec uelle nec nolle, quaeriturque, cur Deus eam puram creatam carni corruptae infundere uoluerit, quod Andreas propter utilitatem inde oriundam factum esse censem; deinde pauca de natura labis, quae in carne est, adiciuntur. 5149 consentiret foetori — libenter ac voluntario susciperet foetorem. 5164 nec — nec tamen. 5168 utilitas tanta: his uerbis Andreas ad ea respicere uidetur. quae supra u. 256—91 disseruit. 5172 labem carnis, sc. quae in carne sola est ante animae infusionem; eo tempore caro etiamnunc res irrationalis est, ut in ea culpa esse non possit, cfr. PL 2, 31, e. 5175 uiuficata, scilicet laba eius quasi mota, cfr. u. 5135. 5176 sed dicitur — quamuis dicatur. — Tum u. 5178—85 quaeritur, quomodo anima omnino uitari possit a carne, etiam in uulgaribus hominibus, qui ex coitu libidine maculato gignuntur. 5180: sine peccato nouo actuali, sine culpa noua actuali, quam caro scilicet eo tempore contrahere non potest, eo minus, quod libido, quae primam labem produxit, iamdiu transiit. 5180 infundens, sc. animae. quod non habet in se, sc. caro ipsa; nam supra 5172 dictum est hanc carnis labem non esse reatum, nedum sit reatus mortalis. 5182 non ante.. carni — quae non ante creatur quam coniungitur carni, ut ne tempus quidem ei relinquatur peccati per se contrahendi; idem significatur u. 5184 uerbis q. s. „sine tractu temporis (= statim postquam creata est) infusae“. 5185 nec delectatio carnis: quoniam, ut dictum est, libido iam transiit et finita est, ut caro ne delectari quidem possit. Andreas quaestionem posuit; nihil respondet, tacite significans se perdifficilem quaestionem soluere non posse. Apertius Hugo in eadem fere re: „dicendum putamus“ inquit „occultam esse Dei iustitiam, qua illius peccati anima tenetur rea, quod non est in potestate sua uitare et quod ipsa propria uoluntate non commisit. Ut enim apostolus dicit, incomprehensibilia sunt iudicia Dei, et inuestigabiles uiae illius.“ — Rursus quaeritur 5185—99, quomodo anima uitari possit, si coitus parentum sine libidine factus sit, ut in patribus antiquis et in eis, qui iussioni diuinae obtemperandi causa cum uxoribus coëunt; respondet u. 5200—32, libidinem non prorsus abesse posse, qnamuis sancti sint parentes. Huic disputationi deinde u. 5233—300 quaedam de coniugio et de adulterio quaestiones a proposito remotiores adnectuntur, de quibus cfr. PL 4, 26, a—c; 31 f—i; 32, d; PP p. 1258—60. 5186 Econtra: nam praecedentia, ut u. 5178 ostendit, de iis dixit, quorum coitus cum libidine fit. 5189 patres —

patriarchas ueteris testamenti. 5193 iubentis, sc. Domini, cfr. u. 5217. 5194 solius... iussus = propter solum Dei iussum, quo uxori, quod debet, reddere cogitur. 5197 supradictis, cfr. 5089 sqq. 5122 sqq. 5206 intendat operi, i. e. opus coëundi exerceat. 5224 quas.. munda = quoniam eas non creatio, quae ipsa munda est, immundas facit. 5226 infundens, i. e. Deus. 5228 quas.. amari: credo, quod horum amore ab amore Dei praecipuo abstrahi possumus. 5232 non cantat = cantare non potest. Mirabiles sane argutias! 5235 sacramenti, sc. coniugii. 5237 quamuis per talem .. concubitum: ut fit (uel saltem fieri potest) propter peccatum mortale tantum, non propter uenialia peccata. 5238 canon = ius canonicum. 5241 sq. si non prae-sumeret .. carne = tunc saltem, si non aude(a)t... carne, suadet tantum hoc fieri, non iubet; sin audeat illud facere, non suadet tantum, sed etiam iubet eum excludi. 5243 sed = sed et, prae-terea; sensus est: præterea ne mortal is quidem culpa per se quemquam ab ecclesia excludit, sed sacerdotis sententia et iussio. 5245 emendet, sc. culpam. 5247—71 contraria praecedentibus sententia affertur eorum, qui maritum uoluptatis causa cum uxore coëuntem mortaliter peccare censem, etsi poena uenialis tantum peccati afficiatur; his deinde respondet Andreas u. 5272—300 hanc sententiam improbans. 5255: sicut quilibet (coitus) in aliena coniuge turpis (est). 5258 damnatas, ut culpae mortal is uim habentes. 5259 coniugium = coniugii sacramentum. adulter, i. e. coniux, qui adulter censem, non uerus adulter; sic etiam u. 5261. 5262: non (autem liber sit a) defoedante reatu. 5266 sq.: sed ita, ut, quantuscumque r. e. fuerit, non tamen ea poena, quae mortali peccato debeatur, aut ea ultio, quae mortali peccato aequa sit, peccatum eius sequatur. 5272 pectoribus alti sensus = uiris summae intellegentiae. sententia sederit = haec sententia placuerit, quae nuper (u. 5247—71) exposita est. 5279: Quod ea poena, quae ueniali peccato debetur, pro mortali peccato imponi debeat. absurdum esse uidetur. 5282 si = si quidem, uid. Index. 5285 debita t. n. limina = contra naturam sit. 5289: immo quia simili adulterio actu se polluit (is maritus), a quo .. adulter. 5292 hunc = coniugem, qui adulter censem. illum = uerum adulterum. 5295 non concessis = non legitimis, ad coitum exercendum a natura destinatis. 5297 sqq. cfr. PL 3, 39, e—g.

5300—13 ad propositum rediens scriptor ostendit, quomodo omnes in Adam fuisse et in eo peccasse dicantur. 5302 materialis origo primus homo = p. h., unde omnes materialiter orti sunt. — Deinde u. 5314—37 opinionem proponit et refellit eorum, qui peccatum originale nec culpam nec poenam esse censebant, sed obnoxietatem quandam poenae, cui propter Adae peccatum omnes posteri obnoxii sint. 5316 parentum, sc. pri-morum. 5319 non dignus = non per se dignus poenis aeternis. 5327 forensi = quae in iure humano ualeat (Hugo: „sicut pro peccato parentis quandoque exulant filii secundum iustitiam

saeculi"; PP: „sicut iudicio fori pro peccato parentum exsulant filii"). — 5338—76 rursus a proposito paulum digrediens quaerit, num praeter peccatum originale etiam alia parentum peccata in filios transeant; idque explicatis locis Exodi 20, 5 et Psalm. 50, 7 fieri negat. 5338 interpungendum est: ne sponsa, fidelis cuiusvis anima &c.; sponsa scilicet Domini anima cuiusvis hominis fidelis esse dicitur. 5339 adultera fiat, et sic ab eo separetur. 5342 durat — durare potest uel solet; sic etiam u. 5353 „uiuet" enarrandum est. 5344 „tanto" ad „iustius" scilicet referendum est. Ceterum in hac prima explicatione loci illius Exodi Andreas uerba illa, quae sunt „in subolem" uel „in filios" miro sane modo ita intellexisse uidetur, quasi significant: „quamdiu subolem ex se ortam uideat", et „uisitare" Deum peccata parentis non tam ulturum quam gratiam et indulgentiam exhibitum putauit. 5348 sqq. aliam eiusdem loci enarrationem affert, eam scilicet, quam secutus est Hieronymus, cfr. PL 2, 33, k. l. 5349 uisitat in poenis = uisitat puniendo. 5356 sqq.: Non de contractis (per originem pluribus ex pluribus parentibus) culpis legem, quae illo loco Exodi continetur, exponere debemus, ut quidam putant, cum pluraliter et „peccata" et „patrum" dicatur (— nam apud Patres sic saepe uerba Exodi afferuntur, ut dicatur „peccata" uel „iniquitates patrum" —); sed uerba ipsius legis hanc explicationem nos sequi uetant, cui contraria sunt, cum addantur uerba „his, qui oderunt me", quibus affirmatur Deum eos tantum filios sic ulcisci, qui odii uenenum hauserint; cum enim ea parentum et filiorum peccata, de quibus loquitur lex, sic odii uim habeant et odium non ex origine contrahat infans, apparel peccata illa ab originali peccato prorsus diuersa esse nec per originem contrahi. 5361 ad hoc, ut culpam contrahat infans = hoc consilio, ut probaret culpam contrahere infantem. 5369: „in peccatis" se natum dicit Dauid, et ex hoc quoque loco plura peccata per originem in prolem transire quidam concluserunt; sed numerus pluralis hic non ad numerum peccatorum pertinet, sed ad numerum conceptionum, cum Dauid bene sciret duas esse conceptiones et utramque cum peccato fieri, unam scilicet seminis (in carnem, i. e.) qua caro oritur et labe statim corruptitur, postea uero alteram (naturarum, i. e.) qua duae hominis naturae, scilicet corporis et animae, inter se coniunguntur, in qua coniunctione labes carnis in animam transit et eam uiciat; cfr. PL 2, 31, i. extr. — Denique u. 5377—95 scriptor docet, infantes, quamuis peccatum originale aequali mensura omnes contrahant, non tamen omnes in poenis aequari, eiusque imparitatis causam in peccatis parentum propriorum positam esse, quae sic tamen aliquo modo in filios redundant; unam autem omnibus infantibus ante baptismum mortuis poenam esse communem, scilicet ut Dei uisione careant, neque hanc pro maioribus aut minoribus donis naturalibus, quae ante mortem receperint infantes, uariari; cfr. PL 2, 33, e; 32, i. 5377 quod contrahitur peccatum = peccatum originale; cfr. 5118 sqq.

5382 sqq.: Sed quamuis aequentur infantes sorde reatus ob eam causam, quod tantum peccato originali sordet infans, non tamen, si ante baptismum scilicet cum sola culpa originali mortui sunt, in poenis aequantur. Huic sententiae opponitur u. 5386 sqq.: „sed paribus culpis infantum, quatenus pares extant (ut demonstratum est), poenae quoque aequales respondere debent ex lege iustitiae“; his respondet Andreas: „Certe, sed poenarum in quibusdam excessus ex peccatis parentum prouenit suorum“. Hoc igitur modo Andreas diuersas de ea quaestione sententias inter se conciliare studet, num infantes patrum suorum culpis obligentur et quomodo. 5389 sqq.: Verum, etiamsi non aequali poena puniuntur, omnis tamen infans, qui cum culpa originali ante baptismum decessit, aequaliter ea poena punietur, quae in eo posita est, ut in poena aeterna Dei conspectu sine fine careat. 5392 prius — ante mortem. naturae dona, quae sunt ingenium, intellectus, memoria similiaque. 5393 sqq.: nullus fortasse post mortem ex donis naturalibus melioribus maiorem usum habebit in uita aeterna, si baptizatus decessit, remissa culpa originali, quamuis ob dona meliora hoc consentaneum uideri alicui possit; hoc tamen non pro certo affirmare audet scriptor, uerum illud affirmat, in poena certe eos aequari, nulla donorum meliorum peiorumue habita ratione, si ante baptismum decesserint.

5396 ad eas quaestiones transit, quae de primis motibus ad peccandum ex labore carnis etiam post remissum in baptismo reatum originalem remanente orientibus instituuntur (cfr. PL 2, 31, b; 32, a—c; 24, f—k; PP p. 1162. p. 1026 sqq.); et primum quidem u. 5396—459 hoc ostendit, primos motus ineuitabiles esse ideoque certe non semper culpas esse et, quando culpae sint, leuissima tamen esse peccata. — 5396 culpa, sc. originalis, quam in baptismo reatu transire, actu remanere supra u. 4517 sq. dixit; sed anima tantum sic purgatur, non caro. 5402 primos, quamuis . . ., motus = primos motus, quae peccata sunt (uel esse possunt), leuissima illa quidem, etiamsi nolentis sunt. 5405 utriusque, scilicet et primum motum ineuitabilem esse et tamen culpam continere; utrumque ex loco Pauli apparent, qui u. 5406 sqq. tractatur, itemque ex uerbis Augustini, quae u. 5414 sqq. respicit; nam etiam Augustini scripta scripturae sacrae nomine comprehenduntur, uid. Index s. u. „scriptura“. 5410 „non quod noluerit“ idem significare uidetur quod: „non tamen ita ut noluerit“ uel: „quamuis non noluerit“ primum motum adesse. 5413: sed nec consensit (ei) nec (eum) d. p. 5419 sqq. ostendit, quid exigatur, ut primus motus culpa sit, exemplisque rem declarat. 5424 sq.: ex contrario ortus . . . uxor, scilicet quia hic motus nec de fomite surgit nec ad culpam trahit. 5432: sed (oritur) de natura (non tali . . . remansit, id est: de natura) debilitata et defectum multiplicem passa; ceterum cfr. u. 7404 sqq. 7424 sqq. 5435—36: ante lapsum primi parentes, quorum natura nondum debilitata erat, nequaquam poterant mortem horrere, ne (= nam alioqui) poena culpam

praecedederet, scilicet quia horror mortis poena est. 5437: quam Christus expauit tempore culpae, i. e. eo tempore, quo propter corruptionem generis humani mors in mundum uenerat; eo tempore Christus quoque pro uera hominis natura, quae in eo erat, mortem horreret necesse erat, sed hic scilicet horror in eo nulla culpa erat, ut dictum est u. 5429 sqq. — 5439 sqq. ostendit primos motus, etiamsi culpae sint, tamen leuissima modo peccata esse. 5441 sq.: quando procuratio uoluptatis (i. e. cupiditas uoluptatis explendae), quae (procuratio) culpae mortalis rea est, primos motus producit &c. 5450 nullum posse — nullam potestatem. 5453: ac ne ceterae quidem animae uires (de quibus dixit u. 4629 sqq.) alios motus primos gignunt, sed labes naturae humanae, qua etiam uires animae corruptae sunt. 5455 lege uetante, ne cupias, i. e. nono et decimo praecepto legis Mosaicae et lege noua; ceterum cfr. PP p. 1263: „quandoque aliquid permittitur, quia non potest uitari et est ueniale peccatum: tales sunt primi motus; unde ‘irascimini et nolite peccare’ (Psalm. 4, 5).“ 5456 nullum ueniale, omnino, non primi tantum motus. Hinc fit digressio a proposito, cum u. 5460—566 de peccatis uenialibus in uniuersum disputatur, cfr. PL 4, 15, b; 20, a. b; 21, a—e; PP p. 1050—55; 1062—64.

In hac disputatione scriptor ostendit, peccata uenialia non omnia baptismo tolli, etsi omnia mortalia tollantur (5460—71); deinde non esse neglegenda peccata uenialia, quae, si non in hac uita contritione deleantur, saltem igne purgatorio deleri debeant (—5512); quin etiam poenis aeternis damnari uenialia posse: quod quomodo explicandum sit, demonstratur (—5566). — 5460 mortalia, ut ipsum peccatum originale; potius tamen de baptismo adulorum hic cogitare uidetur. 5462 si . . . efse — siquidem homo mortalis sine peccato esse non poterit, cfr. u. 4595. — 5472 sq. cfr. 3630. 5475 non ideo . . . placere — non ideo contempti debent. 5476 sq.: contemptus (peccati) uenialis, quamuis leue hoc sit per se. non leuis est, immo grauis et f. A. dignus. 5479 hic — in hac uita. 5480 igne, sc. purgatorio; „hic autem ignis, etsi aeternus non sit, miro tamen modo grauis est: excellit enim omnem poenam, quam unquam passus sit aliquis in hac uita“, PL 4, 20, a (ex Augustino). 5485 sqq. explicatur, quomodo homo, quamuis a mortalibus liberetur, haec uenialia ultra mortem retinere possit, ut igne purgatorio exuri debeant. 5485 pure, i. e. puro corde, ut uera Deo dicendi \* confitens uoluntatem habeat, quae Deo placet. in genere confessio — generalis confessio, quae uocatur, „ubi singula peccata, quae quisque fecit, non exprimuntur“, ut dicit PL 4, 21, e, ubi plura huic pertinentia de ea disputantur. Alanus de Insulis in libri de arte praedicatoria cap. 31: „*Duplic*“ inquit „est peccati confessio, quaedam generalis, quaedam specialis. Generalis, quae fit in dies in sacrificio matutino et uespertino, pro uenialibus et occultis („pro uenialibus, quae quotidie admittimus, et pro illis mortalibus, quorum notitiam non habemus“ PL); specialis,

quae fit pro mortalibus et manifestis (i. e. confitenti notis); ad quam tenentur clerici singulis sabbatis, laici uero ter in anno tenentur specialiter confiteri, uidelicet in natali Domini, in Paschate et in Pentecoste.<sup>4</sup> Huic igitur confessioni generali eadem fere uis tribuitur quae baptismo (u. 5460 sq.), scilicet ut mortalia quidem occulta, quae non occurunt animo, tollat et deleat, uenialia uero nonnisi ea tollat, quae confitens memoria tenet et pro quibus conteritur, cum illa, ad quae delenda animus non aduolat (i. e. quae non diserte deprecatur nec contritione delere conatur), prorsus transuoleat nec deleat. Sed haec tamen confitens (u. 5489 sqq.) non ideo praeterit, quia ea contemnat nulliusue momenti esse putet et nihil omnino nocitura credit, sed quia ea, siue memoria tenet sine obliuiscitur, non multum saluti nocitura credit; ita fit, ut hae maculae ueniales nec deleantur, quia confitens pro iis conteri obliuiscitur, nec tamen, etiamsi confitens eas memoria teneat, per contemptum mortalia fiant peccata (u. 5476—78), quae ad Tartara peccatorem mittant; puniendae autem sunt, ideoque eas, si in hac uita contritio non sustulerit, postea ignis purgatorius exuret. 5496—99: dixit scriptor, has culpas ueniales ignis tantum purgatorii, non aeterni, poena puniri; huic sententiae illa uerba scripturae obstare forsitan quispiam dicat, quae afferuntur u. 5496 sq.; sed Andreas respondet, haec uerba non de uenialibus, sed de mortalibus peccatis dicta esse. „in aeterno proprio“ — per hanc totam uitam humanam; „(in) aeterno Domini“ — in aeternitate. Haec uerba etiam a PP p. 1051 afferuntur: „Quaeritur, quare Deus pro peccato, cum sit temporale, puniat hominem aeternaliter; ad hoc reddit rationem, quia, sicut homo, qui non uult paenitere et ita moritur, peccat in suo aeterno, et, si semper uiueret, semper peccaret, ita Deus hominem punit in suo aeterno.“ Ceterum in libris testamentorum haec uerba non inueniuntur; unde sumpta sint, nescio. Idem de iis uerbis dicendum est, quae deinde u. 5500 afferuntur; haec etiam Alanus l. l. habet: „sicut uniuersalis est remissio, ita uniuersalis esse debet confessio; nam Spiritus sancti gratia nescit tarda rerum molimina; quem enim sanat, totum sanat.“ His uersibus 5500 sqq. Andreas quaedam de natura poenae purgatoriae subiungit: successiuam eam esse ostendit ita, ut eum, qui punitur, sensim aptiorem reddat, qui gratiam Spiritus accipiat eaque culpas deponat, sed non ita, ut sensim et per partes culpas consumat; immo culpas per eam non decrescere, sed remissionem earum differri per uaria quidem et distincta spatia, prout is, qui punitur, in hac uita lignum uel faenum uel stipulam aedificauerit, deinde poena finita culpas simul omnes uno momento tolli; sic, quamuis successiva haec poena sit, uerum tamen illud uerbum esse, gratiam Spiritus sancti tarda molimina nescire. 5508 sq. simile continent: sicut remissio culparum non sensim sed semel fit, quamuis poena purgatoria sensim eam praeparet, sic etiam amor non sensim sed semel in hominem intrat, quamuis timor seruilis

eam sensim alliciat; poenam ante remissionem finitam esse et timorem ante amoris introitum exisse oportet. 5510 cfr. PP p. 1054: „uenialia quaedam comparantur ligno, quia grauiora sunt et difficiliora ad delendum quam cetera, sicut lignum difficilius est ad comburendum quam faenum uel stipula; alia faeno comparantur, quia aliquantulum leuia sunt et facilia deleri; alia stipulae, quia ualde facilia sunt ad delendum, sicut stipula ad comburendum.“ distincta.. differre, i. e. longiorem uel breuiorem moram poenae purgatoriae et dilationem remissionis significare. 5511 decrescere possint, sc. uenialia peccata, quae his tribus uerbis designantur. 5512 tollantur, simul et ex toto. subiecta, i. e. eos, qui his peccatis maculati sunt. — 5513 igne fut. saecli = igne purgatorio. 5521 maculas, sc. ueniales. 5523 pariter, sc. atque culpa uere mortalis. 5524 sq.: similiter ex contrario culpa mortalis, cui in aeternitate poena perennis debetur, in hac uita emendatione breui solui potest. 5532 praescitus quisque perennem (poenam pro ueniali culpa meruit, quam ad Tartara secum delatus est), saluandus uero breuem tantum et quae tandem esse desinet, quia uenialis eius culpa purgatorio tantum igne punietur. 5534—38 obiectionem continent, qua confirmare studuerunt quidam sententiam propositam, uenialia posse aeterno igne puniri. 5534 materiale flagellum, sc. ignis aeterni. 5536 grauius ueniale u. m. m., contra id quod dictum est 5472 sq. 5537 mortali minimo, quale est illud, quo cum infantes non baptizati moriuntur, cfr. u. 5389 sq.; PP p. 1139. 5538 minus aspera, quia non ut ignis sentitur. 5539 sqq. scriptor exponit, quomodo huic obiectioni alii aliter occurtere conati sint. 5539 sq. cfr. PP. p. 1063: „illud ueniale peccatum licet non sit meritorium poenae aeternae, est tamen meritum illius; nam „meritorium“ aptitudinem significat, „meritum“ actum“; sed haec ultima ego equidem non intellego. Andreas dicere uidetur: „Dixerunt quidam culpam ueniale, quam... Auerni. non meritoriam esse aeterni flagelli, i. e. non per se aeternam poenam mereri, immo meritum esse aeterni flagelli, i. e. propter ipsam poenam aeternam, quam praescitus olim necessario passurus sit, in hac uita non deleri sed ad Tartara deferri.“ 5542 quamuis = porro quamuis; nam haec etiam ad illorum sententiam pertinere uidentur. 5544 per quem = propter quem. 5545 sic = similiter ex contrario mortalem culpam, cui directe &c. Dicitur ergo hoc: sicut in praescito culpa uenialis propter hoc ipsum, quod praescitus est, ad Tartara deferetur atque ita indirecte apta fiet poenae perenni, cui directe per se apta non est, ita ex contrario in praedestinato culpa mortalis, cui directe poena perennis debetur, ob hoc ipsum, quia praedestinatus est, non ad Tartara deferetur, sed contritione data in hac uita delebitur, atque ita indirecte breui emendationi apta fiet. 5548 sq. quamuis .. culpa uenialis, scilicet propter se ipsam, non propter mortale peccatum cum ea coniunctum. 5553 uno, sc. munere. 5554 nulli = nulli merito peculiariter. 5556

sqq. affertur sententia eorum, qui uenialia ultra mortem hominis durare prorsus negant, statimque refutatur u. 5561 sqq. 5559 cum maculis, sc. uenialibus. 5560 subsidio amoris: quod praescitus omnino non habet. 5561 sqq.: itaque, cum sic de maculis uenialibus praesciti loquantur, ut et ipsas et poenas earum morte eius aspera prorsus deleri dicant, illud ratione carere et inconueniens esse uidetur, quod de maculis saluandi (uel praedestinati) dicunt; dicunt enim huius maculas ueniales morte deleri, sed poenas earum quandoque retineri et igne purgatorio inustum iri. 5566 propter solas poenas = ita ut de solis poenis, non de maculis ipsis, cogitetur. — 5567—83 ad inceptum de primis motibus tractatum rediens scriptor de peculiari quadam eorum diuisione, quam quidam excogitauerunt, disputat; cfr. PL 2, 24, g—i; PP p. 1026 sqq. — 5567 primum primo, sc. motum (i. e. primum gradum primi motus). 5568 prior, i. e. primus primo motus. 5577 assit (in eo), quem &c. 5580 sq. tantum aliis uerbis idem dicitur, quod iam u. 5577—79 dictum est.

5584—659, cum iam in uersibus proxime praecedentibus distinctionem uoluntatis et actus breuiter attigerit, copiosius de uoluntate et actu hominis disputat. Primum ostendit, duo diuersa peccata esse uoluntatis et operis, etsi in confessione non ambo confiteri necesse sit (—5601); deinde quaerit, num inter se haec peccata paria sint (—5635); tum exponit, Deum ambo simul, si recta sint, remunerare, sed si prava sint, seorsim punire (—5645); deinde ea sententia explicatur, quae uoluntatem pro facto reputari contendit (—5654); denique ostenditur, actum non superfluum esse, etsi bona sit uoluntas (—5659). Cfr. PL 2, 42, a—c; PP p. 988—94. — 5594—601 similitudinem continent, qua praecedentia illustrantur, scilicet non singula omnia peccata confiteri necesse esse. 5605 cfr. 4559 sqq. 5613 tardum magis = tardiorem. 5614 sqq.: sed procedit opus ex contemptu, qui non ipsum opus sed uoluntatem antecedentem comitatur, atque ita potius uoluntatis peccatum hic contemptus auget quam operis peccatum, ideoque uoluntati opus eius par censemur, non maius peccatum. 5622 priori, sc. parti poenae; ita utraque pars totius poenae aequalis est. 5624—29 et 5630—35 duae obiectiones afferuntur, quarum auctores probare uoluerunt, opus et uoluntatem non paria esse; sed statim refutantur. 5624: Quantum opus foedat laicum, tantum studiosa uoluntas foedat presbyterum; ceterum in libris testamentorum haec non leguntur, sed „scriptura“, ut antea dixi, etiam Patrum scripta significare potest; quis autem hoc dixerit, nescio. 5624—27 computatio haec est: opus laici = uoluntas presbyteri; opus laici < opus presbyteri; ergo: uoluntas presbyteri < opus presbyteri. Deinde haec conclusio ita refellitur: cum „opus“ laici dicitur, hoc ita intellegendum est, ut et opus et uoluntatem laici coniuncta significet; his ergo par est sola uoluntas presbyteri; uerum sic nihil obstat, quominus opus et uoluntas presbyteri paria sint. 5630 sumptio, sc. corporis Christi, quae actio est; si igitur haec actio iusto

plus prodest quam sola uoluntas sumendi, actio et uoluntas imparia esse uidentur; sed actio tantum ob sacramenti uim plus prodest, non quod maius meritum sit quam sola uoluntas; immo, quantum ad meritum, de quo hic tantum agitur, ambo paria sunt. — 5647 „cerea uerba“ sunt uerba huius ipsius sententiae: „uoluntas pro facto reputabitur“; hanc Andreas ita intellegi uult, ut de recta tantum uoluntate ualeat, cum alii eam de omni, etiam prava, uoluntate ualere putent. 5654: sed ex uerbis recte intellectis hic tantum sensus surgit, ut recta uoluntas intellegatur.

5660—728 disputationem continent cum praecedenti artissime coniunctam, scilicet de uoluntate, fine, actione, intentione; cfr. PL 2, 38 et 40; 1, 48, b. c; PP p. 987; p. 1000—7; p. 1199 sqq. Primum u. 5660—87 declaratur ratio, quae his quattuor intercedit; deinde u. 5688—718 exemplis ostenditur, quomodo intentio in fine ultimo sibi constituendo errare possit, ut per hoc actio damnabilis fiat; deinde quaedam adduntur de ratione, quae inter intentionem et actum intercedit. — 5560: Quando (aliquis) uolens &c. 5662 uolitum, cfr. PP p. 987: „quandoque dicitur „uoluntas“ id quod nos uolumus, quod quidam factu nomine uocant „uolitum“; uolitum ergo hic est nudum uestire, et in eo primus finis est. 5665 sq.: Voluntas fini (primo) nomen imponit, ut hic finis bonus uocetur, si uoluntas ipsa bona sit, et rursus ipsa uoluntas a fine (secundo) eodem modo nomen sortitur. 5669 si rectus finis uterque: rectius tamen Andreeauctores primum finem uel rectum uel per se indifferentem esse posse dicunt. 5675 operi affectus .. imponit nomen: uerba sunt Ambrosii. 5676 quod opus .. rectum = ut opus .. rectum sit. 5682 uult = uoluntatem habet. 5684 sq.: quare omnem intentionem simul uoluntatem esse apparet, uerum non e contrario omnis uoluntas simul intentio est. 5686: aut sic „intentionem“ definire possumus, ut hanc quartam (i. e. intentionem) non uoluntatem per se distinctam esse dicamus, sed potius uoluntatis ad summum finem directionem. — 5691 alter finis = supremus, ultimus finis. 5693 illi = uitiae perenni et gaudiis caeli. 5694 sq. cfr. u. 4498 sq. 5697 synderesis, cfr. ad u. 4737. 5710 mortalis .. moles = mortalis culpae moles. 5712 culpae conscius = si culpam, quamuis per se ueniale, conscius committit. 5714 quaeſito = ei, qui ad necem quaeſitum, cfr. u. 3031 sqq. 3054 sqq. 5715: cum non ignoret id agendum non esse, quod agit. 5717 praeterit illum effectus finem = de illo ultimo fine errat. — 5719 non errat, sc. intentio in fine ultimo sibi constituendo. 5724 is = is solus. 5726 sq. uerba: „quantum . . . intendit patrare“ et explicationem eorum, quae u. 5723 sq. dicta sunt, et simul additionem continere uidentur; ceterum haec uerba me non satis intelligere fateor, sed hoc tamen mihi dici uidetur: si is, cuius intentio prava est, ad actum transit, tantum facit, quantum intendit, (non solum si idem plane patrare intendit, quod re uera agendo patrat, sed

etiam) si plus patrare intendit illo, quod re uera patrat, uerum non, si minus illo patrare intendit, quod patrat; uelut si eum interficit, quem tantum mulcare intenderat, non tantum agit, quantum intendit, immo plus agit, et actus eius mortalis culpa erit, quamvis ueniale tantum peccatum committere intenderit; nam, ut dicitur uerbis sequentibus: „quod est... intentio reddit“. De his cfr. Augustinus in libro contra mendacium ad Consentium cap. 7: „ea, quae constat esse peccata, nullo bonae causae obtentu, nullo quasi bono fine, nulla uelut bona intentione facienda sunt.“

5729—84 ostenditur aliquem fieri peccatorem posse reatu, antequam fiat actu, et reatum eius statim ab initio tantum esse, quantus omnino futurus sit, quemcumque euentum actus habiturus sit; alios tamen sentire, reatum secundum euentum diuersum uariari, alios uero semper aequalem esse. Hanc disputationem cum ea, quae proxime praecedit, de intentione et actu arte cohaerere appetit. Similia quaedam iis, quae hic dicuntur, apud PP p. 991, 995 sqq. reperiuntur, sed in alia disputatione de peccatis ignorantium. 5729 Eminus.. dextra distante: in his uerbis omnis uis sententiae est; si enim hoc modo actio fit, necesse est transeat aliquod tempus inter peccatum reatu, quod ad actionis initium, et peccatum actu, quod ad actionis finem pertinet. 5733 quodam durante tractu — quodam temporis spatio praetereunte, uel: post quoddam temporis spatium. 5733 sq. ab actu (= per actum, quod ad actum pertinet) non homo auctor mortis est, dum hoc tempus praeterit, sed potius actio, quando finem ceperit, causa mortis est. 5735: aut, ut alio modo eadem sententia exprimatur, non dicetur is, qui .. hostem, occidisse (i. e. actu homicidam esse), prius quam.. finem. 5739 numquam .. ipse = numquam dicetur ipse persuadere (, cum potius oratio eius sit, quae persuadeat). 5740 persuasisse, sc. actu. 5745 peruersus = reus, reatu peccans. quicquid post inde sequatur: ergo, ut in sequentibus ostenditur, si prauam eius in missili mittendo uoluntatem mors hominis sequetur, statim, dum missio teli celebratur. grauissime deliquit et reus erit grauissimi peccati, homicidii; sin mors non sequetur, statim ab initio minoris culpe reus erit, inde quidem minoris, quod Deus mortem hominis prohibet &c. 5751: si uero uoluntas recta ursum occidendi praecesserit (teli iactum) ... Prioribus declaratum est, mala uoluntate actum praecedente semper reatum incurri; iam quaeritur, num etiam bona uoluntate praecedente interdum reatus incurritur, et quomodo hoc fiat. 5755 ad quod = etsi ad hoc (faciendum). nisi f. r. u.: nam eiusmodi remotam uoluntatem praecessisse fortasse inde concludi potest, quod iaculator cautelam debitam omisit et contemptum iaculum emisit. 5756: Praecessit culpa, si quis ita interficitur; sed culpam praecessisse necesse non erit, antequam aliquis interfectus sit, et, utrum praecesserit an non, tum demum manifestum fiet, quando actio ad finem peruerterit. 5758 ante = antequam re uera sequatur.

5762 Haec, i. e. ea, quae u. 5746—61 et praecipue quidem u. 5746—50 de reatus imparitate dicta sunt, ut ostendunt ea, quae u. 5771 sqq. dicuntur. 5763 uarius locus: i. e. utrum iaculum emissum hominem feriat et interimat, an in terram labatur, ad rem nihil pertinere dicunt. 5767 mutatio temporis = uariatio temporis; ergo hi, quorum sententiam Andreas impugnat, mire sane concessisse uidentur ad rem pertinere, utrum iaculum citius an tardius spatium percurrat. Andreas tamen horum sententiam non omnino improbat, qua omnes paribus contemptibus iacula mittentes aequaliter peccare putabant, sed hoc tantum inconuenienter eos concedere dicit. 5768 differat alter = mutetur et alter ac differens fiat. 5769 citius: ergo etiam maiore ui, ut hominis mors inde sequatur. 5771 peccant aequaliter: ideoque etiam aequaliter punientur; hoc quidem non fieri uidetur propter ea, quae dicuntur u. 5775 sq., sed obiectionem inde petitam statim refellunt ita, ut u. 5777 sqq. ostenditur. 5779 sqq.: quae his uersibus exponuntur, ad rem ipsam, de qua quaeritur, proprie non pertinent, sed similitudinis tantum causa afferuntur. 5782 praecesserit annis mille = mille annis ante mortuus sit et in caelum, beatorum patriam, receptus.

5785—811 adiungitur disputatio de peccatis actualibus furiosorum et se aliquid peccati agere ignorantium, quaeriturque, num hi omnino actu peccare possint. 5785 ut non peccatur, sc. ab iis, quorum actus u. 5746 sqq. descriptus est. quando p. m. d. infertur = ipso actu. 5786 sed dum c. m. teli: ergo reatu tantum. 5790 peccat, sc. actu. 5792 delinquit, sc. actu. 5796 culparum, sc. praecedentium. 5800 quae mala committit, sc. actu; ergo etiam actus peccata his hominibus imputari hi putabant, a prioribus dissentientes. 5803: sed (ex eo contemptu,) de quo processit culpa, quae furorem generauit. 5810: non (aequales eos dicunt, qui surgunt de contemptu) tali tamque remoto (, qualis is est, qui furorem genuit).

5812—39, postquam iam in superioribus saepius de contemptu peccatum comitante dictum est, plura de contemptu aliisque circumstantiis peccatum augentibus uel minuentibus adduntur; cfr. PP p. 992, 999, 1069. — 5829 uirtus, i. e. oboedientia. 5832 cetera, sc. obseruata. 5838 maneat = sit.

5840—55: de bonis actionibus eorum, qui sine sua culpa furiosi fiunt; quas mercedem caelestem non mereri scriptor ostendit. 5844 sqq.: quamuis uirtutum lux, cum sine flatu mortalis culpae extingui nequeat, duret munere, (etsi)non usu, maneat habitu, (etsi)non clareat actu, (sicut) infans . . . usu. 5850: cum ne eius quidem retributio crescat, qui sanae mentis est et compos mentis bona opera facit, nisi antea creuerit in eo dilectio mater uirtutum, quae suboli suae, i. e. uirtutibus, commoda (i. e. mercedem) procurat.

5856—83 praecedentibus disputationem adiungit scriptor, qua uirtutibus et uitiis diuersam retributionem deberi ostendit eaque inter se comparans uirtutum uim maiorem esse probat

(—5868), duasque obiectiones refutat, quae contra hoc afferri posse uidentur (—5874—5883); sequitur deinde (u. 5884—93) adhortatio, ut redemptions memores iustitiae et Deo seruire uelimus, praesertim cum hoc leue sit onus, et sic transitus fit ad librum sequentem. 5860 omni — unaquaque. 5866 subiectum — hominem, qui haec uitia habet. 5872 alterius, sc. cuiusuis hominis. obfuit, sc. fastus uitium. 5878 non aequans uitia uirtutibus, sicut quispiam eum facere forsitan dicere possit, quod „sic..ut“ particulis in membris sententiae antea allatae iungendis utitur. 5880 tantum — tantum solum, non plus; nam illo priore contentus est. 5881 ira digni: fuimus enim ante redemtionem filii irae, ut dicit Paulus in epist. ad Ephes. 2, 3. 5887 „torpere“ contrarium est illi, quod antea dictum est „uigilanter intentum esse“, et hoc uerbo Andreas utitur, ut significet, hoc opus non molestum requirere laborem. 5889: „iubar“ hic aut stellam Luciferi aut omnino lucem significare potest. 5892 supra quemque (= omnem) gradum melior = infinito melior.

## LIB. X.

Alteram operis sui partem inchoaturus Andreas a noua praeftatione atque inuocatione incipit (5894—929); deinde per reliquam libri partem uarias de redemptione hominum quaestiones tractat. — In hoc libro scriptor res multo copiosius exsequitur quam ii auctores, quos sequi solet; summae tamen rerum apud eos quoque inueniuntur, maxime apud PL 2, 21, f; 3, 1, a—b; 18, e; 19—20; cfr. etiam PP p. 1167; 1206 sqq.  
\* In allegoriis iisdem auctoribus usus est, de quibus supra ad u. 1822—2088 disputauit.

5894—929: praefatio et inuocatio. 5894: pars eius operis, quod scribere coepi de eis operibus, quae &c. 5896 qualiscumque, i. e.: siue bonum hoc metrum est siue rude et imperfectum. 5897 Quod — hoc metrum, quod fortasse uituperari potest. 5900 serenis — a liuore et malignitate remotis. 5902 iure — rite, ut oportet. 5910 conatum, sc. describendi et laudandi. 5920 sqq.: certus factus per id auxilium, quod iam antea mihi exhibuisti, te confidentibus tibi semper iuuamen ferre dignari, per quod proficere possint.

5930—80 exponit, cur Deus hominem recreare constituerit, et cur tam diu auxilium ferre distulerit. 5934 sine fine cremandum — si sine fine cremandum esset. 5937 ne grauior poena (hominum) quam angelorum malorum (esse uideretur): nam aeterna hominis poena statim a morte eius incipere debebat, malorum uero angelorum hoc demum saeculo finito, cfr. u. 395

sqq. 5941 cfr. u. 324 sq. 5942 proposuit, sc. in creando homine, cfr. u. 256 sqq. 5947 cfr. Isaiae cap. 61, 1. 5962 sq.: ut antea probatum esset, legem naturae et legem scriptam minime posse reparare ruinam; cfr. PL 4, 2, b: „Christus uenire noluit, antequam homo de lege naturali et scripta conuinceretur, quod neutra iuuari posset“. Ceterum lex naturalis secundum Hugonem (de sacramentis lib. I part. 12 cap. 4) ea est, „sub qua duo paecepta fuerunt et tria sacramenta. Duo paecepta: ‘Quod tibi non uis fieri, alii ne feceris’ et ‘quaecumque uultis ut uobis faciant homines, eadem et uos facite illis’. Tria sacramenta: decimae, oblationes et sacrificia. Sub scripta lege multa fuerunt paecepta et multa sacramenta“, de quibus in capp. sqq. disputat. 5963: licet lex naturalis potestatem standi daret, quia, si homo paecepta eius seruaret et sacramentis uteretur, saluari poterat, et licet lex scripta per paeceptorum multitudinem ampliorem notitiam et scientiam paeberet eorum, quibus faciendis stare et saluari possemus, utraque spreta est. 5965 perempto... Abel, quo paeceptum eius primum funditus uiolatum est; et cfr. PP p. 1218: „Adam nec tantum fuit malus nec tantum bonus, et ideo non solet ei attribui principium ecclesiae bonorum uel malorum, sed bonorum Abel, quia tantum bonus fuit“ (et malorum Cain, quia tantum malus fuit). 5967 adorare uitulum, quo similiter primum legis scriptae paeceptum uiolatum est. 5968 lex immaculata, i. e. lex caritatis noui testamenti. 5970 Antichristo ueniente; nam in eo erit plenitudo malitiae et omnis iniuritatis, ut dicit Hugo, eoque regnante homines a Christo et eius lege descissent. 5971 lex, sc. scripta. 5974 cfr. Isidorus comment. in lib. IV Regum cap. 3, et ad u. 5979 eiusdem allegoriae noui testamenti. 5979 custos, sc. noster.

5981—6025 declaratur, cur homo per se aut hominem alium praeter Christum redimi non potuerit. 5990: (sua) sponte se catenis eius constringentes. 5992 dissolu — soluendos esse. 5998 non homo — qui non esset homo. 6003 Hinc, i. e. ob hoc ipsum, quod iniusta fraude Satanas hominem ceperat. 6008 quatenus exurgat humilis — ut exsurgat per humilitatem. 6009 superbus — per superbiam.

6026—109: de modo redemptionis a Deo electo, et cur Filius, non Pater aut Spiritus, uenerit, et cur serui figuram sumpserit. 6033 sqq.: „ut uita sic rediret, ut omnia per medicamenta agerentur contraria ei modo, quo mors uenerat, quocumque modo hoc factum est, Filius ad aegrum hominem descendit, et Filius quidem, non Pater aut Pneuma, descendit eo consilio, ut, uelut... esset.“ Quod autem Andreas ‘quocumque modo’, non ‘quo modo’ dicit, sine dubio locum epist. ad Rom. 5, 12 respicit, ubi est: „sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt“; similiter igitur per unum hominem, scilicet Dei Filium hominem factum, cum ipse

iustus et peccati nescius esset, omnes iustificati et peccato liberati sunt, et sic omnibus per Christum uita rediit; ita etiam Paulus ibidem u. 18: „igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obditionem iusti constituentur multi.“ 6037 sq. prima causa affertur, cur Filius uenerit; quod, ut dicit PL, „ideo factum est, ut, qui erat in diuinitate Dei filius, in humanitate fieret hominis filius. Non pater uel spiritus sanctus carnem induit, ne alius esset in diuinitate filius, alius in humanitate, et ne idem esset pater et filius, si Deus pater de homine nasceretur.“ 6039—43 secunda causa affertur eiusdem rei. 6039 Ut monas .. connexio: spectat scriptor Augustini uerba a PL 1, 31, g. h allata et explicata: „In patre est unitas, in filio aequalitas, in spiritu sancto unitatis aequalitatisque concordia; et haec tria unum omnia propter patrem, aequalia omnia propter filium, connexa omnia propter spiritum sanctum.“ 6041 Domini scire = Domini scientiam; serpens enim Euae dixit: „eritis sicut dii, scientes bonum et malum“. 6042 Proles, ob quam fuit orta tempestas: nam Filius est Patri par et aequalis, et haec tempestas, qua homo corruit, ideo orta est, quod homo seruus Dei paritatem et aequalitatem concupierat. 6044 sqq. aliam tantum explicationem eiusdem causae continent. 6044 prior, sc. eā, qua homo corruit. 6049 sq. cfr. PL 2, 42, i. k, qui duos locos scripturae de radice omnis mali inter se conciliare studet et hanc disputationem sic finit: „Patet ergo, quod ex superbia aliquando cupiditas et ex cupiditate aliquando superbia oritur, et ideo de utraque recte dicitur, quod sit radix omnis mali.“ 6053 utrimque damnum fecisse = et angelorum et hominum damni et ruinae occasio fuisse. 6056 sqq. de his allegoriis uid. Isidorus. 6065. In psalmo est: „et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum“, quae uerba ut de Christo dicta accipiebant; ceterum eam horum uerborum enarrationem, quam Andreas sequitur, ex glossis biblicis sumpsit, ubi similia reperiuntur. 6066 quo = quia eo. 6069 sqq. Medius candelabri in tabernaculo positi stipes tria ante se brachia habuit, tria post se; utraque tria tres illos iustos homines significabant, qui et ante aduentum Christi et post eum soli erant saluandi suaque iustitia suas animas liberare poterant, etsi alios saluare nequibant. 6072 tribuentis m. s. = Christi. 6074 sq. sicut .. creatio facta; cfr. u. 243. 247 sq.; Psalm. 103, 24. 6076: hinc s. Chr. c., (et quidem) de uirgine matre. 6085 actu = uitae agendae ratione. 6086 fieret = futurus erat. 6095 subtracti = hominis, qui se Deo subtraxerat, cfr. u. 5988. 6011 sqq. parti neutri suspectus, cum et diuinam et humanam haberet naturam. 6108 hostes = daemones.

6110—287 effectus, quos habuit mors Christi, describuntur. Christi mors homines iustificauit, cum per eam uis Satanae

deuicta sit: 6110—200. 6112 tam . . Pneumatis: „nihil enim operatur filius sine patre et spiritu sancto, sed una est horum trium operatio indiuisa et indiuisibilis“ PL 3, 1, d; cfr. infra u. 6902 sqq. 6126 nihil — nullo, uid. Index. 6135 potestas, sc. quam in homines habuerat. 6139 fraudis . . . tenenti — quippe qui fraudulenter homines cepisset iniusteque teneret. 6141 sqq.: hac comparatione Gregorius in lib. Moral. 33 cap. 7 sqq. (super Iob 40, 19 sqq.) usus est; altera comparatione, quae 6145 sqq. inuenitur, Augustinus (apud PL) in serm. 130, 2. 6152 virtus ipsius abscondita: quoniam tum plane uictus a Satana uidebatur; cfr. Isidorus de passione Domini cap. 35. 6158 quia, cum ante ruinam Lucifer esset, &c. 6161 perdix: de huius nominis causa cfr. Hugonis lib. de bestiis (qui idem est, qui „Bestiarius“ uel „Physiologus“ uocatur) I cap. 50, ubi Isidorus et Rabanus auctores citantur; Isidorus (Orig. XII, 7): „Perdix“ inquit „auis . . adeo fraudulenta, ut alterius oua diripiens foueat, sed fraus fructum non habet: denique, cum pulli propriae genitricis uocem audierint, naturali quodam instinctu hanc, quae eos fouit, relinquent et ad eandem, quae genuit, reuertuntur.“ Itaque hanc auem cum diabolo comparabant; nam, ut dicit Rabanus, „diabolus per principes haereticorum congregauit populos, quos non peperit, et deceptorum sibi multitudinem consociauit, quos postea amisit, et omnium iudicio stultissimus esse comprobatur.“ 6161 sqq.: et ipse Satanás (= natus in empyreo regno, cfr. u. 515 sqq.) res sine iudicio (et iure) congestas perdidit omnes, sicut perdix pullos, quos ex ouis raptis exclusit; nam, quia stultus sibi non prospexit, iis rebus spoliatus est, quas male cepit. 6172 uinciuīt = uinxit. 6180: quos ligno (scientiae boni et mali) ceperat Hostis, per lignum (crucis) perdidit; sententia haec iam in Euangeliō Nicodemi Graec. part. II cap. 7 et 8 reperitur, ubi Christus dicit: πάντα ὅσα ἐκέρδησας διὰ τοῦ ἔντονος τῆς γνώσεως, διὰ τοῦ ἔντονος τοῦ σπουδοῦ πάντα ἀπώλεσας, et: Λεῦρο μετ' ἐμοὶ πάντες, ὅσοι διὰ τοῦ ἔντονος, οἵ ἵψατο Ἀδάμ, ἐθανατώθητε· πάλιν γὰρ ὑμᾶς διὰ ἔντονος τοῦ σπουδοῦ πάντας ἐγὼ ἴδοι ἀνιστῶν. 6181—83 cfr. Numer. 35, 25—28; Iosuæ 20, 1—6. 6184 sqq. Andreas allegoricam parabolæ explicationem secutus est, quam Gregorius in homil. sup. Euang. 34 cap. 6 habet, cfr. PL 3, 1, b; Christus significatur per mulierem sapientem; huius „proles“ sunt redempti. 6186 sqq.: cum caelitus (i. e. diuinitus, diuina ui diuinoque consilio) orbem terrarum, domum suam, euerrisset et purgasset, id est homines ante malignos (= malos) in melius mutasset, drachmam perditam inuenit (i. e. imaginem Dei perditam reparauit).

6201—39: Christi mors mortem destruxit, chirographum nobis contrarium deleuit, fomitem peccati debilitauit. 6202 mortis, sc. Christi; item 6203 et 6205: aut mors, sc. Christi. 6205 sequentem = in aeternitate olim futurum, cum corpus glorificatum resurrexerit. 6207 iusti detentio, cfr. u. 4034 sqq. — 6213: talis memoratio (= haec admonitio) legis contemptae in

scriptura sacra ‘scripta cautio (= chirographum) decreti’ vocatur. — 6221 uetustas = ueteris hominis natura uitiata; ceterum de iis, quae hic disputantur, cfr. PL 2, 32, a—b. 6227 uicti, sc. Satanae. 6228 inermi = exarmato Satanae. 6232 sq. cfr. PL 3, 15, a: „Sicut Christus propter hominem homo factus est, ita propter eum hominis defectus suscepit. Suscepit enim de nostro, ut de suo nobis tribueret, ut nostrum tolleret defectum; suscepit enim nostram uetustatem, ut suam nobis infunderet nouitatem; simplam ille accepit uetustatem, id est poenae, ut nostram duplam consumeret, id est poenae et culpae.“ 6234 cfr. Psalm. 68, 5; = dum poenas luit eorum peccatorum, quae non commiserat. — 6240—65 ostendit scriptor, Christum legalia suscepisse, in primis circumcisionem, ut legis Mosaicae iugo nos liberaret, idque eius morte factum esse; simul typicam circumcisionis uim declarat, cfr. PL 4, 1, f—l; 3, k; PP p. 1140 sqq. — 6240 legalia = ritus et praecepta caerimonialia legis Mosaicae. ab ipsis = per ipsa. 6243 onus importabile, cfr. Act. Apost. 15, 10. 6248 incidi = circumcididi. 6249 circumciditur = liberatur, purgatur; item 6256 sq. 6251: „petra“ Christus dicitur, „prop terea quod sit firmitas credentium, offensio et ruina incredulorum“. Isidorus. 6255 octauo die, cfr. infra u. 6458. 6265: ne ipse duritiem eius sentiret et amaritudinem pateretur. — 6266—82: Christi crucifixio robur uirtutum nobis praestat; u. 6283—87 quaedam de ui crucis signi subiunguntur.

6288—324: Christi uita uitam nostram instruxit et exemplar nobis factum est; praecipue ostenditur, quid crux eius nos doceat. 6288: sicut Christi mors mortem destruxit, sic etiam uita eius uitam nostram instruxit. 6291 sqq. cfr. 2658 sqq. 4160 sqq. 6294 sequaces = si eum sequi uoluerimus. 6295 sq.: in cruce pendere nos docuit, quando ipse in ea pendebat, si nos, qui membra Christi sumus, eo ascendere uolumus, quo ipse, caput nostrum, ascendit. 6308 sqq. Andreas hic locum epist. ad Ephes. 3, 17 sq. respexit, ubi est: „in caritate radiati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudine et sublimitas et profundum“. Ceterum etiam aliae quattuor crucis dimensionum explicationes allegoricae inueniuntur; similem illi, quam Andreas hic exhibet, habet Alanus de arte praedicatoria cap. 20: „Caritas est crux spiritualis, quam quilibet portare tenetur, ut tollendo hanc crucem Christi uestigia sequatur; cuius altitudo erigitur ad Deum, latitudo extenditur ad inimicum, longitudine usque ad uitae terminum, profunditas diuinae gratiae sapit immensum.“ 6311 intentio recta, i. e. in Deum tendens, cfr. 2476 sqq. 6321 pandatur = aperiatur, sicut Christi latus uulnere lanceae infixo apertum est.

6325—61: Christi crucifixio Deum amare nos docet, et sic per eam ad salutem omnes trahimur et regnum Christi conditur deitasque eius manifestatur. 6326 informans = docens et sensus nostros interius reformans. 6326 tota = ab omni parte spectata. 6327: qua nulla utilior redimendis (nobis esset). 6331 cfr.

epist. Ioann. I, 4, 9. 10. 19. 6333: crux amoris, quam suscipere debemus, cfr. 6306 sqq. 6334 quae persuadetur &c. — ad quam suscipiendam commouemur cruce salutis (i. e. cruce Christi, in qua moriens nos saluauit), et quae per hanc crucem typice significatur. 6337 meritis, sc. Domini. 6339 crucis in palmam — in crucem uelut in palмam. Cfr. Alanus sup. Cant. Cantic. 7, 8: „Ascendam in palmam, id est in crucem. Palmam dicit, quia signum triumphale est contra omnem potestatem inimici. Et apprehendam fructum eius: fructus palmae illius totus mundus dignoscitur esse per crucem redemptus. Unde idem saluator ait: Si exaltatus fuero &c. (Ioann. 12, 32).“ 6341 sqq. Dixit Andreas Christum milia multa saluasse; iam parenthetice per u. 6341—48 explicat, quomodo tamen interdum in scriptura unus tantum saluari dicatur. 6343 hinc — hinc intellegitur locus Ioannis euangelistae, in quo dicitur . . . „sanabatur unus“. 6344: consilii magni angelus — angelus, qui magnum illud Trinitatis consilium nobis nuntiauit, quo omne genus humanum saluare constituerat. 6345 populo „crucifige!“ strepente — dum populus clamat: „crucifige eum!“, cfr. Marc. 15, 13; Luc. 23, 21; Ioann. 19, 6. 6348. Etiam in loco Pauli, qui hic affertur, „unus“ eodem modo accipiendum est, ut per ‘unum’ significantur omnes, qui Christi morte saluandi sunt, omnes ad uitam beatam praedestinati. 6349 morte redemptos &c. — efficiens, ut fideles, quos morte sua redemit, iusti et recti corde fiant. 6358 sq. cfr. PL 3, 18, c: „tropus ille in scriptura celeberrimus, quo dicitur res fieri, quando innotescit; item PP p. 1192 med.: „dicitur res esse uel fieri, quando manifestatur eam fieri.“

6362—637 allegoricas explicationes continent locorum quo rurdam sacrae scripturae, quibus Christus redemptor eiusque opus typice significantur. Isidorus multa his similia habet; locos tamen eius cum quiuis facile ipse inuenire possit, non afferro. — 6362 exaltatus, sc. in crucem. 6362 sq.: per aes, quia durat, Deum aeternum eum esse significatur; per serpentem autem, quia per hunc mors in mundum uenit, hominem mortalem eum esse notatur. — 6365 uirga potestate (= significatione) Deus est = uirga Moysi Deum significat. 6366 homo, sc. mortalis. 6369 reuersus = rursus conuersus et commutatus. 6376 medicamine mortis = eo, quod ipse mortuus est, quod uirgae in colubrum conuersione typice significatur. Haec prima explicatio est huius loci; altera u. 6378—82, tertia u. 6383—90 continetur. 6385 primo . . reputatum: hoc significatur uirga etiamtum uirgae habitum seruante. 6386 post . . maxima: hoc significatur uirga in serpentem conuersa et magorum, mundi sapientum, colubros deuorante. 6389 cunctis = ceterorum omnium sapientiа. — 6394 baptisma = baptismi aqua. 6395 et . . cogit: quia baptismo peccata praeterita delentur et diabolus suffocatur. 6397 rectius dicendum erat inuerso membrorum ordine: „tam passio Christi quam lauacrum (= baptisma) mundat

iustos“, similiterque in u. 6398, ubi „sanguine“ — per sanguinem. — 6400 sacramenta duo, sc. baptismi et altaris. 6405 integra aetate — aetatis integrae (ut in Vulgata est). — perfecta; „uitula rufa caro est saluatoris nostri, rosea sanguine passionis, aetatis integrae, quia perfecta aetate passionem suscepit“: sic Isidorus melius quam Andreas, qui „in quo quis opere perfectus“ dicit. 6409 uenialis, sc. culpae. saecula — totum mundum omnesque in eo populos. — 6411 amarum — amara passio sanctorum; nisi forte Andreas rem eodem modo intellegi uoluit quo Isidorus: „intellige amaras aquas occidentis litterae et legis habere figuram; quibus si immittatur confessio crucis et passionis dominicae sacramentum iungatur, tunc efficitur aqua mirae suauitatis, et amaritudo litterae uertitur in dulcedinem intelligentiae spiritalis.“ — 6414 Sic — similiter; item saepe in seqq. 6416 deitate — secundum deitatem, diuinam suam naturam. 6418 uoluit, sc. Abraham. 6420 sq.: „uepres spinae sunt, spinae autem iniquos et peccatores significant, qui suspenderunt Dominum in cruce; inter spinas itaque peccatorum suspensus est Dominus“, Isidorus. — 6423 humanae Christi naturae, sc. typus fuit. 6424 diuinae, sc. naturae Christi. — 6425 Isidorus: „botrus dependens e ligno utique Christus est ex ligno crucis (pendens) . . . ; duo bauli, qui sub onere botri illius incedebant, populus est uterque: prior Iudaicus caecus et auersus, ignarus pendentis gratiae et pressus onere suspensi, cui subicietur iudicanti; qui uero posterior ueniebat, populi gentium gerebat figuram, qui credens et Christum ante oculos habens semper eum portans uidet et quasi seruus dominum et discipulus magistrum sequitur &c.“ 6427 duo ligna crucis, sc. palus et patibulum. Isidorus: „Mittitur Helias pascendus ad alienigenam uiduam, quae uolebat duo ligna colligere, priusquam moreretur. Non hic solo ligni nomine sed etiam numero lignorum signum crucis exprimitur“; et alibi: „haec uidua ecclesia est, ad quam per fidem Christus uenisse legitur; cuius farinae et oleo benedicitur et non deficit, id est: gratia corporis Christi et chrismatis unctio, quae toto mundo quotidie impenditur, numquam minuitur“; ceterum haec ut pleraque alia ab Augustino mutuatus est. 6428 ligna salutis — crucem Christi. 6403 uel . . farina: propter haec sequentia de Christi corpore pane animarum subiunguntur. — 6431 quatenus esset nobis in pretium: cfr. Matth. 20, 28; Corinth. I, 6, 20; ep. Petri I, 1, 18 sq., al. 6433 pro uita: ut per eum a morte liberaremur et uita aeterna potiremur. 6436 cibus angelicus est semiperpetua uisio Domini, qua fruuntur et satiantur; eademque homines per Christum saluati olim fruentur. 6440 semper cruciandus — sed semper cruciabitur. 6445 uita paratur, sc. per hunc cibum. 6446 uitam — corpus Christi, quod uitam praestat. 6447: hic subito ad nouam corporis Christi imaginem transilit scriptor, qua cum agno paschali comparatur, et in hoc typo copiose explicando deinde uersatur. 6448 ad meliora . . transire:

etiam huic uerbo significatio agni paschalis inest, quia pascha 'transitum' notat; cfr. Isidorus de offic. eccles. I, 31: „a transitu Hebraeo uerbo Pascha appellatum est, quod et maxime euangelista expressit, cum celebraretur a Domino Pascha cum discipulis suis: 'cum uidisset' inquit 'Iesus, quia uenit hora eius, ut transiret de mundo ad patrem' (Ioann. 13, 1). Transitus ergo .. de morte ad uitam in passione domini et in resurrectione commendatur; hic transitus modo a nobis agitur per fidem . . , quando consepelimus cum Christo per baptismum quasi a mortuis transiunt, de peioribus ad meliora &c“. 6451 „tempus omne“ ad illud „semper“ respicit, quod u. 6447 ponitur; ceterum cfr. Isidorus l. l.: „(a Iudaeis festum paschale a quartodecimo die mensis primi) usque ad uigesimum primum obseruatur propter numerum septenarium, quo uniuersitas saepe figuratur“, et PL 2, 15, h: „(septimum diem Deus) sanctificasse et benedixisse dicitur . . ., et inde est, quod numerando dies usque ad septimum procedimus et dicimus septem esse dies, quorum repetitione omne tempus agitur.“ 6453 Hinc, i. e. ut in Christi morte omnia eadem fierent ratione, qua in agni paschalis mactatione fiunt; de qua re PC in hist. euang. cap. 110: „agnus paschalis“ inquit „decimo die mensis primi (— sc. anni sacri Iudeorum, qui a fine Martii uel initio Aprilis incipiebat —) assumebatur de grege et seruabatur usque ad quartumdecimum diem; in hunc modum Iesus die decimo, id est (die dominica) in ramis palmarum, uenit ad locum passionis et manebat in eo, usque dum passus est.“ In ueste quartidecimi diei agnus paschalis mactabatur, eademque nocte Iesus poenis traditus est. 6462 octaua aetate: sex aetates mundi ab ortu eius usque ad interitum numerare solebant (cfr. u. 1954 sqq.); septima aetas erat sabbati perennis (Isaiae 66, 23) animarum iustarum in spe requiescentium et praestolantium gloriam resurrectionis; octaua sequebatur aetas beatae resurrectionis, in qua receptis corporibus glorificatis iusti cum Deo in aeternum regnabunt (— ex pluribus locis Hugonis —). 6464 redimens &c. — Christus, qui nos redemit (moriens eodem anni tempore), quo olim morte agni . . . Hebraeus.

6472 sqq. de hac mystica agni paschalis interpretatione cfr. maxime Gregorii homil. in Euang. 22, cap. 7 sqq.; multa similia etiam apud Isidorum et Hugonem reperiuntur. 6475: supraposuit limen, quod significat frontem corporis, cum corpus tamquam aedificium hominem includat. 6477 abesse pudorem = crucis Christi nos non pudere. 6479 crucis aemula (— similis) littera, id est T littera; eadem Graece trecentos notat. 6485 intentio . . . cogitat: „quid enim spiritualiter domos nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitationem inhabitamus? cuius domus supereminet ipsa intentio, quae preeminent actioni“, Greg. 6492—518: hi uersus institutam agni interpretationem interrumpentes inseruntur, ut demonstretur, quam necessaria sit haec renum cinctio uel carnis maceratio, quae praecipitur. 6493 tabernacli seruis, ut quibus . . . agendi = t. s.,

quorum nomine typice ii significantur, quibus . . agendi; hi ergo minime carnem suam macerant nec munditiae prospiciunt, ideoque iis mundum Christi corpus sumere non licet; quare eos minime imitari debemus, sed potius exemplum Christi sequi, quod u. 6498 sqq. describitur. 6500: (praeterea a) Christo pontifice . . Christi, sicut pontifex Iudeorum uituli hircique sanguinem in Sanctuarium inferebat et digito spargebat. 6508 suscepta in sanguine . . uita: quoniam uitae (ut animae) sedes in sanguine est; aut: uita, quae „sanguinis“ nomine accipitur et intellegitur. 6510: aut ut animae nostrae (laudabiles Patri eius) praesentes offerantur, ut uita perpes iuste iis praestetur p. u. d. p. 6514: Sic . . fuit = Similiter alio loco scripturae (Hebr. 13, 12) Christus „extra portam“ (et occlusa porta) passus esse dicitur, ut nos &c. 6519 sqq. Dura quidem sunt haec, i. e. haec omnia, quibus caro maceratur. „Haec quibusdam dura sunt; sed angusta porta est, quae dicit ad uitam, et habemus iam multa exempla continentium. Unde et bene adhuc subditur: ‘Calceamenta habebitis in pedibus’; quid sunt enim pedes nostri nisi opera? quid uero calceamenta nisi pelles mortuorum animalium? Calceamenta autem pedes muniunt. Quae uero sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui patres, qui nos ad aeternam patriam praecesserunt? quorum dum exempla conspicimus, nostri operis pedes munimus. Calceamenta ergo in pedibus habere est mortuorum uitam conspicere et nostra uestigia a peccati uulnere custodire.“ Greg.; sed Andream eum non per omnia sequi appetet. 6528 inductique = et si eorum exemplis nos induci patimur. pedes m. p., calceum scilicet typice intellectum sumentes, id est carnem et pellem necantes. 6529 felices = sanctos. 6532 sq. ne durus . . desit; tamquam hoc posterius praeceptum de calceo etiam durius sit quam prius illud de cinctu renum, quia per hoc a nobis postulatur, non solum ut petulantia fluxa restringatur, sed etiam ut carnem et pellem prorsus mortificata habeamus. 6535: per „baculum“ intellegi debet custodia pastoralis, quae summam munditiam postulat; „illi debent curam pastoralem suscipere, qui iam in suo corpore sciunt fluxa luxuria edomare, ut, cum aliis fortia praedicant, ipsi desideriis mollibus eneruiter non succumbant“. Greg. 6542 sq.: hanc interpretationem Greg. non habet, et certe ab hoc loco aliena esse uidetur. 6546 sq. et illud, ut . . adesse: „quid enim prodest corpus et sanguinem Christi ore percipere, et ei peruersis moribus contraire? itaque bona opera (sine corruptione uanae gloriae) iis iungantur.“ Greg. 6553 praesens saeculum = uita nostra praesens, cfr. 6630. 6555—88: propter praecedentem „noctis“ mentionem dure sane haec de Dei uisione aenigmatica et comprehensiua inseruntur, simulque locus Exodi (33, 20 sqq.) allegorice explicatur. 6555 sqq.: modo (= nunc) uisio nostra aenigmatica est fitque per spem tantum et fidem, non per speciem neque per rem ipsam, sicut olim fiet, quando, patriae caelestis plenissime compos,

comprehensua facta erit. 6566 sqq. Moyses stans in petra et foramine petrae Dei transeuntis posteriora uidet — homo fidelis super petram Christum et in foramine eius (i. e. ecclesia, cfr. Greg. lib. Mor. 25, 10, 25) stans posteriora eius, id est humanam naturam, uidet, sed hanc uidens simul credit eum Deum esse et ad caelum transisse. 6572 ad faciem . . . scandet — ad diuinam eius naturam, quae facies eius est, clare uidendam olim perueniet. 6573 antiquissima, scilicet quia ab aeternitate est. 6576 noua natura — humana natura, quae antiquae Christi faciei, i. e. diuinae eius naturae, tum accessit, quando Christus homo factus est. 6577 sq. cfr. Alanus contra Valdenses cap. 36: „lex uetus erat promissionis, lex euangelica solutionis: soluto ergo promisso debet cessare promissio, et ueniente ueritate debet umbra cessare.“ 6579 per rem promissam — quando res promissa data est. 6583 sqq.: Ante aduentum Christi uisio aenigmatica „uisio noctis“ est, post aduentum Christi uisio eadem aenigmatica dicta est „uisio diei“, sed nondum comprehensua est, quia etiamnunc corporea est; comprehensua demum „uisio lucis“ est et uocatur, qua Deum in aeternitate uidebimus.

6589—94: „Carnes igni assandae sunt, quia nimirum dissoluit ignis carnes, quas aqua coixerit, quas uero ignis sine aqua excoquit, roborat; carnes itaque agni nostri ignis excoxit, quia eum ipsa uis passionis illius ad resurrectionem ualentiorum reddidit et ad incorruptionem roborauit.“ Greg. 6595 sqq.: de his etiam Hugo in opp. uol. 3 p. 259 conferri potest. 6597: dum illum ita coquere (i. e. naturam eius ita intellegere) nolumus, ut Deum eum esse cogitemus, sicut infideles faciunt. 6608 Montem . . tangens: hunc locum Andreas sic intellegi uoluuisse uidetur, ut „montem“ de mysterio incarnationis et omnibus Dei secretis, „bestiam eum tangentem“ de homine infideli aut per humanam sapientiam mysteria penetrare studenti accipi uellet; paullo aliter eum intellexit Gregor. lib. Mor. 6, 37. 59; deinde u. 6609 per cor scandalat homo — per fidem homo ad diuinorum intellectum euadat. 6609 cfr. Psalm. 63, 8. 6610 iste — homo; ille — Deus. 6611 omnia, sc. quae ad incarnationis mysterium pertinent. De toto hoc loco Gregorius sic: „Quid aqua nisi humanam sapientiam designat, iuxta hoc quod per Salomonem sub haereticorum uoce dicitur: ‘aqua furtuuae dulciores sunt’? quid crudae agni carnes nisi inconsideratam et sine reuerentia cogitationis relictam illius diuinitatem significant? Omne enim, quod subtiliter cogitamus, quasi mente coquimus. Sed agni caro nec cruda edenda est nec aqua cocta, quia redemptor noster nec purus homo aestimandus est, neque per humanam sapientiam, qualiter incarnari Deus potuerit, cogitandus. Omnis enim, qui eum purum hominem credit, quid aliud iste quam agni carnes crudas comedit, quas uidelicet coquere per diuinitatis eius intelligentiam noluit? omnis uero, qui incarnationis eius mysteria iuxta humanam sapientiam discutere conatur, carnes agni aqua uult coquere . . . Sed assas igni carnes comedat, ut

dispensari omnia per sancti Spiritus potentiam sciatur.“ — 6623 sqq.: Sic agnum festinanter, ut praecipitur, comedet uiator, si mysteria Christi auide cognoscet, mandata eius libenter implebit, ut ad patriam caelestem, cum in hac terra peregrinus sit, celeriter currens perueniat, ne locus ... complere. 6625 cfr. Hebr. 11, 13; ep. Pet. I, 2, 11. 6634 sqq.: „Sed quia ualde difficile est, ut .. omne eius mysterium possit penetrari, recte subiungitur: ‘Si quid autem remanserit, igne comburetis’ ... (Hoc facimus), quando hoc, quod de mysterio incarnationis eius intelligere et penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliiter reseruamus, ut non superbe quis audeat uel contemnere uel denuntiare, quod non intelligit; sed hoc igni tradit, cum sancto Sp. reseruat.“ Greg.

6638—74 perorationem huius libri continent. — 6639 fidei dubitatio — dubitatio de ueritate fidei. 6645 uetus fuisse, sc. crudas agni carnes edere; hoc igitur praeceptum per se friuolum et plane superuacaneum uidetur; sed sensus mysticus in eo latet, a quo magnam uim accipit. Gregorius: „Ecce iam nos ipsa uerba historiae ab intellectu historico repellunt: numquid enim Israëliticus ille populus in Aegypto constitutus comedere agnum crudum consueuerat, ut ei Lex dicat: ‘Non comedetis ex eo crudum quid?’“ 6647 Hinc, i. e. quia, sicut demonstratum est, omnia, quae lex (= uetus testamentum) continet, typice ea significant, quae aduentu Christi ad ueritatem perducta sunt. 6650 sqq. cfr. Gregor. homil. in Euang. 33, 8. 6653: sed, ut uerba Exodi ‘Moyses sedit in petra’ significant, lex in Christo lapide adiutorii (Reg. I, 7, 12) quieuit, scilicet, quia Christus primus legem impleuit nosque eam spiritualiter implere docuit. (Gregorius l. l. lapidem de ecclesia, non de Christo, intellegit, sed in lib. Moral. 38, 31, 74 cum Andrea facit.) 6656 hic ... caesus: significatur Christus a deitate ueniens et opere Pneumaticis, nullo uirili opere interueniente, incarnatus; cfr. 6915 sq. 6659 hinc, sc. quia lex tam grauis fuit et quia Christus nos eam spiritualiter implere docuit, in Exodo Aron, qui Christum significat, cum Hur, qui Sp. sanctum notat, graues manus Moysi, i. e. grauia legis praecepta, leuasse dicitur. Gregorius: „Aron mons fortitudinis, Hur autem ignis interpretatur. Quem itaque mons iste fortitudinis signat nisi redemptorem nostrum, ... aut quis per ignem nisi Sp. s. figuratur? ... Aron igitur et Hur graues manus Moysi sustinent atque sustentando leuiores reddit, quia Mediator Dei et hominum cum igne sancti Spiritus ueniens mandata legis grauia. quae, dum carnaliter tenerentur, portari non poterant, tolerabilia nobis per spiritalem intelligentiam ostendit.“ 6662 sq. obiecta uerborum „sugere, extrahere“ sunt „mel, sucum, oleum, medullam, intellectum“.

Hoc libro de duplice Christi natura et de incarnationis mysterio disputatur. In exordio (6675—92) exponitur, hoc nomen „homo“, si culpam denotet, ut solus peccator uere homo vocari possit, Christo non conuenire, sed ita Christum diuinam solam naturam esse, humanam uero naturam tantum participare et habitu possidere. Deinde u. 6693—775 prima de duplice Christi natura sententia exponitur et refellitur eorum, qui ob haec, quae in exordio exposita sunt, Christum Deum esse dicunt eundemque hominem quidem esse, sed ita, ut hoc nomen „homo“ non ueram speciem de Christo praedicet sed tantummodo habitum, ut non uerus homo sit, sed humana tantum forma tamquam ueste circumdatus. Tum similiter secunda de eadem re sententia proponitur et refutatur eorum, qui, cum speciem de Christo praedicare nomen ‘homo’ concedant, Christum duo esse dicunt (6776—886). Post haec tertia sententia affertur et probatur, ex qua Christus uerus Deus et uerus homo, sed tamen unum solum esse dicitur (6887—94); et ex hac deinde sententia procedens scriptor uarias quaestiones, quae ad incarnationis mysterium pertinent, tractat. — Haec item ut supra \* disputationem de Trinitate ob easdem causas aliis relinquo: ceterum pleraque omnia explicari possunt collatis his auctoribus: PL 3, dist. 1—7, 10, 12, 21—22; PP p. 1162—83; 1221—28; HS tract. 1 cap. 15—19.

## LIB. XII.

Tractatus de incarnatione hic continuatur u. 7299—590, ita ut de donis et de defectibus humanae Christi naturae disputetur, deinde de uoluntate eius ac meritis, postremo de resurrectione. Hinc ad resurrectionem mortuorum et supremum iudicium describenda scriptor transit (7591—8040).

Extremo libro undecimo Andreas docuit, Christum tum mortuum esse, quando unio corporis et animae erupta esset, sed nihilominus in morte et animam et corpus diuinae eius naturae iuncta fuisse, et omnino deitatem, cum semel humanae naturae uniri uoluisse, eam non deseruisse, immo donis prodige semper auxisse. His primum u. 7299—304 explicatio adiungitur illius loci scripturae: „Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?“, qui superioribus aduersari uidetur; deinde de donis humanae Christi naturae disputatur, de potestate scilicet (7305—44) et de scientia (7345—87), itemque de defectibus eius (7388—431). Cfr. PL 3, 21; 13—16; PP p. 1219—22;

- \* 1183—84; 1204—6; HS tract. 1 cap. 16—18. — 7300: tamquam (*si*) seiuncta (esset), cum re uera non seiuncta fuerit; PL: „fateamur Deum quod ammodo illum hominem in morte deseruisse, quia potestati persequentium eum exposuit ad tempus, non suam potentiam exercendo illum defendit, ut non moreretur.“
- \* 7302 Verbo . . mediante, cfr. u. 6938 sqq. 7303 a se — ab eo, a Verbo diuino. — 7306 creata — ad humanam Christi naturam pertinens. 7307 tali — eadem potestate. 7308: si praedicta potestas creata esse concedatur; hoc PP censem, cum PL incretam esse illam potentiam dicat; Andreas dubitat, potius tamen eo inclinat, ut cum PP faciat. 7309 sicut . . sic — qua potestate . . , eadem. 7310: ergo creata potestate etiam animam resumere potuit; sed hoc Andreae inconueniens uidetur. 7312 numquid posse mori (= animam deponere) c. d. Patrem: hoc necessario concedendum esse uidetur, cum in Patre eadem potestas aeterna sit, quae in Filio: sed hoc quoque, quamvis argumento u. 7313 proposito (de quo cfr. PL 3, 1, c) firmari posse uideatur, inconueniens esse apparet. 7316 data: ergo etiam creata. 7318 potuisse, sc. ex potestate creata sibique data. 7319: ergo non ipse Petrus hoc fecit creata potestate, sed potestas, qua
- \* hoc ut minister fecit, ipsa fuit aeterna. 7320 sqq. cfr. PL 4, 5, b—c. 7328 sq.: quam Christus, etsi dare potuit, tamen non contulit, quia esset &c. 7340 sqq.: Quod transit Iesus, ex hac loci enarratione (de qua cfr. Gregor. lib. Moral. 19, 3, 5) humanam eius naturam significat, quod autem stat, diuinam; secundum hanc solam lumen caecis dat, peccata remittit, baptizandi uirtutem habet. — 7352: Christum quidem ipsum omnia scire, sed non animam Christi, nemo diceret, cum hoc nugatorium esset; illud igitur argumento est, animam Christi omnia scire, ut u. 7347 sq. dictum est. 7357 sciat, sc. anima Christi. 7357 sq.: licet scientia ei adsit, non tamen potentia animae creandae ei adest. 7363 Christus, sc. ut homo. 7372: nam Dei scientia est Deus (i. e. totam Dei uim continet; cfr. u. 7337: illa Dei uirtus est Deus), estque causa efficiens potestatis creandi, rebus omnibus essentiam dans. 7380 propter alios — ita ut proprie ratio habeatur eius, quod aliis apparet. Cfr. Gregor. lib. Moral. XIX, 7, 13: „usitata sacri eloqui locutione ‘uidere’ Deus dicitur ‘uidere nos facere’, sicut iusto uiro Dominus dicit: ‘Nunc cognoui, quod timeas Deum’, et Israëlitae praemonentur: ‘Tentatus Dominus Deus uester, ut sciat, si diligitis eum’, id est: ut scire uos faciat.“ Propter uersum scilicet Andreas „ames“ pro „timeas“ posuit. 7384: siquidem hoc: ‘non nouit Filius’ significat: ‘Filius non effecit, ut alii eum diem cognoscerent’. 7385 nouit, sc. Plastes. 7386: per uerbum q. e. „scribere“ actus quidam corporis significatur. 7387 cfr. u. 339 sq. — 7389 utrumque uerum — et ueram animam et uerum corpus humanum. 7401 sq. cfr. PL 3, 15, f: „afficitur quis interdum timore et tristitia ita, ut mentis intellectus non inde moueat a rectitudine uel Dei contemplatione, et tunc propassio est; aliquando uero

mouetur et turbatur, et tunc passio est.<sup>4</sup> 7403 qua (sc. ratione) gaudens — quam integrum nec turbatam seruans. 7404 animae solius, sc. dolor. 7407: hic timor Christi tantum timor naturalis erat, cum culpa non coniunctus (cfr. u. 4284 sq. 4305 sqq.), sed non erat eiusmodi timor, ob quem . . ferre. 7411 miles — Paulus; ceterum haec uerba Augustini sunt („non enim fortior est miles quam imperator; miles enim coronandus gaudet mori, et Dominus coronatus timet mortem?“) a PL 3, 15, e allata. 7413 sq.: tollitur omnis discordia (— contradictio), quod ad uerborum sensum attinet, et in solis uerbis remanet. 7418 culpae, sc. defectus, i. e. tales defectus, qui cum culpa coniuncti sunt et peccata necessario generant; hos non suscepit Christus, cum incarnaretur, cfr. 5127 sqq. 6678 sqq.; sed omnes fere poenae defectus suscepit, i. e. tales defectus, qui ex poena Adae inficta humanae naturae adhaerent. 7420 non (= non tamen) ab eo s. f. ignorantia poena: quamuis enim haec ignorantia (de qua cfr. nota ad u. 4502) ad defectus poenae pertineat, tamen eam pro nobis suscipere Christum dedecuisse nec nobis profuisset, cfr. PL 3, 15, b. 7422 legem moriendi — \* necessitatem moriendi; cfr. Hebr. 9, 27; hic quoque defectus poenae est, eumque Christus suscepit, non necessario ille quidem, sed sponte misertus, et suscipere eum potuit, quia hoc facere non eum dedecuit et nobis profuit. Cur autem de hoc defectu separatim disputetur, ex PL 3, 16 a elucet; scilicet etiam ante peccatum in homine fuit mortalitas, i. e. aptitudo moriendi, quae defectus non fuit; sed post peccatum in eo fuit alia mortalitas, sc. necessitas moriendi, quae defectus est. 7424 sqq.: hanc (necessitatem moriendi) quilibet alter praeter Christum de uiscosa natura habet conditionis (= generationis) sua, quae sorde reatus contracta (= contrectata u. maculata) est, sicut de eadem natura generationis maculatae et tristitiae et mortis timorem habet. 7429 contrarius — cum re uera ipsi naturae plane contrarius sit. 7430 sq.: immo id, quod (= is defectus, qui) naturae numquam detrahitur, quia naturae uitio semper ei adhaeret, a natura nomen sortitur et ‘naturale’ uocatur; cfr. u. 4305 sqq.

7432—556 ab hac disputatione de lege moriendi a Christo \* sponte suscepta progressus scriptor de Christi uoluntate et meritis disserit; cfr. PL 3, 17—18; PP p. 1196—99; 1189—96; 1206—7. Primum loco scripturae, qui u. 7435 affertur, nisus ostendit, duas in Christo fuisse uoluntates, alteram rationis, alteram carnis uel sensualitatis, nec tamen illas inter se pugnasse, sed posteriorem priori subiectam fuisse (—7442); deinde docet, illam sensualitatis uoluntatem ipsi non fuisse meritoriam, causasque eius rei affert et obiectionem quandam refutat (—7464). Tum exponit, quomodo illa mortis uitanda uoluntas in Christo sensualitatis uoluntas uocetur et quomodo uoluntati rationis subiecta fuisse dicatur, scilicet sensum carnis occasionem eius et quasi causam fuisse, re uera tamen rationem effecisse, ut

hoc secundum sensualitatem uellet; itaque rem sic se habere, ut ex ratione illa quidem uoluntas esset, qua se mortem uitare uelle uoluerit, sed non ea uoluntas, qua mortem uitare uoluerit („det var en Viljesakt af hans ratio, der fremkaldte den kødelige Viljesakt hos ham, men selve dennne udgik ikke fra hans ratio“); deinde haec duobus exemplis similibus illustrat (7465—74, 75—88, 89—504). Denique addit, mortis uitandae uoluntatem, quamuis non implenda esset, utilem tamen ac bonam fuisse (—7509). — 7433: non mortem ferre (= mori), quod contrarium erat illi quod antea uoluerat, idem Iesus uere, non specie tantum, uoluit. 7435: haec duo uera esse ex illo loco scripturae efficitur, in quo dicitur; „quod tu uis... fiat“. 7436 uoluntas illa, sc. posterior. 7438 praeuenit = praecessit magistrae et imperatricis modo. 7440 commendata = laudabilis effecta, scilicet quia utilis et bona fuit, ut postea dicitur, u. 7506. 7441 sq. simile continent, quo praecedentia illustrantur: sicut in arca Noë animalia diuersa pacem inter se seruauerunt, sic etiam in anima Christi pax erat, nec diuersae uoluntates et affectus inter se pugnabant. (Alanus sup. Cant. Cantic. cap. 6: in gloria Virgine erat pax pectoris et pax aeternitatis; haec est arca Noë, in qua pacatae sunt bestiae, quia in ea non fuerunt cogitationes inordinatae.) — 7445 mortis declinatio = qua mori noluit mortemque uitare studuit. 7446: cum non ad finem, qui hominum redemptio erat, referri eique inservire posset, utpote quae delira esset, i. e. ab hoc fine recederet. 7448 cfr. ad 4160. 7452: praeterea ex hoc ipso, quod non... sortita, probatur &c. 7454—56 obiectionem continent, cui deinde u. 7457—64 respondetur. 7457 magna ratione petendum = et quod magnam rationem habebat cur peteret, scilicet ob id, quod u. 7459 sqq. exponitur. 7458 ut ipsum impleri uellet = (nec ideo) quod i. i. uellet. — 7467 aduersa petitio morti = petitio (simulque uoluntas, quia petitio uoluntatis manifestatio est), qua mortem auersabatur. 7468 interdum legitur: sicut et PL et PP et multi alii, etiam Andreas ipse u. 7439, hanc uoluntatem „carnis uel sensualitatis uoluntatem“ dixerunt. 7469: qui iustum causam esse cognouerit, cur sic dicatur; nam re uera res ita se habet, ut exponitur u. 7470—71 (ubi „cauere“ = uitare). 7472 quandoquidem.. subiuit: hoc primum argumentum est, quo probatur, Christum, ut antea dictum est, non ex ratione mortem uitare uoluisse; nam qui sponte, i. e. ex ratione, mortem subit, idem non ex ratione mortem uitare uult. Alterum argumentum u. 7473 sq. continetur; nam inde sequitur, uoluntatem mortis uitandae, si rationis uoluntas (i. e. uoluntas ex ratione procedens) fuisse, effectum fuisse habituram. 7475 sqq. primum exemplum simile continetur, quo proxime praecedentia illustrantur. 7475 discipulos doluit passuros scandala: hoc, quod ad sensum pertinet, idem esse apparet, quod: „discipulos nollet scandalizari“; et cum hoc sine certa uoluntatis conscientia fieri non possit, idem rursus est, quod: „uoluit se nolle discipulos scan-

dala pati“; hic igitur sententiam habemus similem ei, quae u. 7470 reperitur. Porro illa uerba u. 7478 sq.: „non tamen illa (scandala) ex r. I. (uoluit non esse futura —) uoluit non fieri“ respondent eis, quae u. 7471 dicta sunt: „non uoluit t. e. r. cauere“. 7480 firma uoluntas — rationis uoluntas u. 7473. 7481—88 additionem continent huic exemplo adiunctam, de qua cfr. PL 3, 17, e. 7481 Pro se non, sicut pro discipulis suis. 7489 sqq. alterum exemplum continetur; de primis uersibus cfr. PL 1, 48, d. 7489 Ob producendum fructum (de filii morte Maria) gaudebat — ob utilitatem, quam Christi mors hominibus allatura erat, . . . gaudebat; haec sententia respondet illi u. 7432: „ex ratione mori uoluit Iesus“; rursus sequentia uerba: „ob ingens supplicium . . . dolebat“ illis respondent, quae u. 7433—34 dicuntur; sed deinde u. 7491—95 additur, in Maria hanc posteriorem uoluntatem a posteriore Christi uoluntate eo differre, quod in Maria haec uoluntas meritoria ipsi fuerit. 7494 sic — propter caritatem, quae in illo motu comparebat, ille doloris motus, cui . . . arbitrii, fuit opus uirtutis, quo meruit. 7494 sq. cui libertas . . . arbitrii: nullus enim motus meritorius est nisi ex uirtute et libero arbitrio, cfr. 3881 sqq.; et propter hanc liberi arbitrii adiunctionem illa uerba: „dolebat filium moriturum“ — „ex ratione uolebat se nolle eum mori“, idemque significatur u. 7496 uerbis: „ex ratione . . . uenit“, cum sequentia (u. 7498—99) „non tamen . . . mortem“ = „non tamen ex ratione nolebat eum mori“. 7497 animalia bruta, sc. quia ratione carent, cfr. 4675. 7499 pia — ex compassione et misericordia. — 7506 utilis et bona, sc. fuit.

Deinde u. 7510—23—43 scriptor exponit, Christum. quamuis secundum Dei formam meritis altius ascendere non posset, tamen secundum serui formam uel naturam humanam in morte sua corporis immortalitatem, animae impassibilitatem, nomen super omne nomen sibi meruisse, et haec per mortem mereri eum uoluisse non sua causa, utpote qui eadem iam a principio uitae mereretur, sed nostra, ut exemplum nobis praeberet; deinde quaeritur, num in morte sua nobis ingressum Paradisi meruisse iure dicatur (—7550), denique quando caro eius immortalis animaque impassibilis facta sit (—7556). De his conferantur ea, quae supra u. 3907—19 dicta sunt. — 7511 iuxta meritum concendere — secundum meritum altius ascendere, uel in meritis proficere. 7515: nec tamen summum meritum, quod iam ab ortu habebat, ultra crescere potuit, scilicet ob hoc ipsum, quod summum erat. 7516 sqq.: Non tamen imp. et cunctipotens Deus, cum homo passibilis factus esset, perfectis uirtutum donis carere potuit, nec perfecte bonus esse perfectis uirtutibus uti potuit, quin iis mereretur: itaque (in morte) est immortalis meritis eius caro facta &c. 7521 spiritus — anima. 7524 sq.: A principio tamen uitae eadem meruit, quae meruit tempore mortis, cum tantasdem uirtutes iam ab ortu nactus esset, quantas in morte habuit. 7528 Nunc, i. e. post mortem. 7537 sed — recte hoc quaeritur, sed res ita se habet: mortem Dominus

&c. Cfr. PL 3, 18, e: „Ad quid ergo uoluit pati et mori, si ei uirtutes ad merendum illa sufficiebant? Pro te, non pro se. Quomodo pro me? Ut ipsius passio et mors tibi esset forma et causa: forma uirtutis et humilitatis, causa gloriae et libertatis; forma Deo usque ad mortem obediendi, et causa tuae liberationis ac beatitudinis.“ 7544 cfr. supra 2378 (ubi afferri debuit locus ex euang. apocryph. in narratione Iosephi Arimath. cap. 4) et 3918 sq., ubi iam (per „forte“) dubitare se significauit, an hoc non recte diceretur. 7545 scribitur: ut apud PL 3, 18, a et e, ubi locus Ambrosii citatur. 7546 mortem tolerauit. sc. pro seruis. 7548 humilius — humilitatis eius argumentum. 7551 sqq.: Aut tum Christi anima impassibilis facta est, quando de carne soluta est, aut tum, quando (in resurrectione) carni reddita est atque &c.; cfr. PL 3, 18, a: „Utrum autem anima sit facta impassibilis, quando caro facta est immortalis, scilicet ipso resurrectionis momento, de auctoritate nobis certum non est; sed uel mox post carnis separationem anima impassibilitate donata est, aut in resurrectione, quando caro refloruit.“ 7554 quae pars — utra sententia.

His adiungitur subtilis quaedam de Christi in sepulcro quiescentis carne quaestio (7557—70); deinde de resurrectione Christi disputatur, primumque ostenditur, tum glorificatam esse Christi carnem atque impassibilem et incorruptibilem factam, quamuis a Thoma palpari potuerit, deinde Christum ex uirtute Dei miraculo modo resurrexisse. — 7558 talem — passibilem (carnem). cenae, sc. paschalis, quando sacramentum eucharistiae instituit. 7563 reseruata: quia carnem eius „non putredinis ulla corruptit macula, non corruptela resoluit“, u. 7290 sq. 7564 ibi — in sepulcro. 7565 fuit passus — „passus“ dici debet. ibidem — in eadem illa carne, quae in sepulcro iacet. 7566 sq. ad quaestionem propositam respondet: in his ea tantum dictio admitti debet, qua interior poena, i. e. passio, significatur, non ea, qua exterior poena, i. e. crucifixio, notatur. 7569 sq.: Christi sanguis erat in illa carne et desiit esse in eadem carne, quando in sepulcro posita est; haec recte dici possunt; sed non ex his duabus sententiis coniunctis (maxime propter uerba „desiit esse“) concludi debet, sanguinem Christi „inde fluxisse“, nec talis dictio, qua exterior poena similiter notatur, admittenda est. Ceterum dubitare me fateor, num haec uerba satis intellexerim.  
\* — 7586 habitum, sc. corporalem. quem priuatio (sc. huius habitus) cepit — qui semel eo priuatus est. 7587 isto more, i. e. ex solito naturae cursu. 7588 trahit esse (= essentiam) — fit.

Finito iam de incarnatione tractatu Andreas ad ultimam operis sui partem transit, in qua ab iis profectus, quae proxime ante tractauit, de resurrectione mortuorum et de supremo iudicio disputat; de his cfr. PL 4, dist. 43—50; PP p. 1264—80; H de sacramentis lib. II part. 17 et 18.

7591—617 demonstratur, resurrectionem mortuorum item ut Christi miraculosam futuram esse et novo Domini iussu effectum iri. — 7594 ad se — ad illud, ad corpus. 7595 non mors . . peccatum: nam resurrectio fieri nequit, nisi mors antea facta est, et mors per peccatum in mundum uenit. 7596 illa — resurrectio. 7597 plus naturalis — magis ex naturae ordine solitoque cursu esse. 7598 novo mandato (= iussu), cfr. u. 7616 sq. 7604 plus quam sint naturalia — supernaturalia, miraculosa. 7606 sqq. cfr. PL 2, 1, a. b; 7, f—l; 17, d; 18, e—g; PP p. 820 sq. Ex his locis intellegitur, quod ex uirgis facti sint serpentes arte magorum, miraculosum illud quidem esse et contra naturam fieri hominibus uideri posse, re uera tamen non ita esse, quia in naturalibus rerum causis esset, ut hoc fieri posset commutandis elementis, quae Deus creauit, qui solus creator est. Itaque eadem operatione et elementorum commutatione Deus auxilio et ministerio angelorum usus ex puluere homines facere potuit, nec hoc miraculosum aut contra naturam esset; sed solo iussu ex puluere homines producere miraculosum est, idque Deus in resurrectione mortuorum faciet. 7614 per c. q. c. prima — similiter elementis commutandis, non solo iussu.

7618—66: descriptio eorum, quae in resurrectione fient. — \* 7625: Nec (tamen necessario) „medianam noctem“ de temporis hora intellegere debemus; PL 4, 43, c: „media autem nocte dicitur uenturus, ut ait Augustinus, non pro hora temporis, sed quia tunc ueniet, cum non speratur; media ergo nocte, scilicet cum ualde obscurum erit, id est: occultum, ueniet, &c.“ 7630 sq.: „Potest tamen non incongrue intelligi mediae noctis tempore uenturus, quia, ut ait Cassiodorus, ‘hoc tempore primogenita Aegypti percussa sunt, quando etiam sponsus uenturus est’.“ PL l. l. 7632 idcirco . . temporis — et si re uera eum noctis tempore uenturum putamus, hora aduentus iudicis ab aliis „dies Domini“ non propter splendorem temporis dicta est (i. e: non ideo, quia splendida luce et diei tempore futura sit), sed propter consilia . . patebunt. 7639 non . . cunctis, sed ipsis tantum, qui ea fecerunt, nam hi certe, ut postea dicitur, memores eorum fient; sed non ceteris in notitiam uenient. 7643 sq. PL l. l: „uirtute diuina fiet, ut cuique opera sua bona uel mala cuncta in memoriam reuocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset uel excusat hominem conscientia, eaque teste uel damnetur uel saluetur.“ 7654 sqq.: etsi exiguum temporis spatium erit, in quo deducentur in eius occursum, in eo tamen spatio cuncti morientur et resurgent.

7667—734: de qualitate corporum resurgentium. — 7667 uitios — „deformitatibus“ PL 3, 44, d. 7670 incerta figura — dubitatio de figura eorum, quorum &c. Augustinus dixit: „non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo uel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio.“ 7672 sqq. PL 3, 44, e: „Augustinus uariis exemplis astruit, et sempiternis

ignibus ea ardere et non consumi illa combustionē, sicut animus, cuius praeſentia corpus uiuit, dolorem pati potest, mori autem non potest.“ 7679 non — non tamen. 7680 altera — reliqua. 7681 decentem — in quam eam cedere decebit. 7687 sqq.: Andreas Augustini ſententiam uulgo receptam non prorsus probare uidetur et obiectionem contra eam his affert. Extrema uerba (u. 7691—92) fortasse ſic intellegenda ſunt, posita in fine interrogationis nota: „num ſic (i. e. niſi Deus membra mutaret) unus plura capita aut quatuor manus habiturus eſſet?“ hoc certe absurdum eſſet. 7693 sqq. cfr. PL 2, 30, m—o; 4, 44, a. h. 7698 in patrem ſurget — ita ſurget, ut in patriſ corpus redeat et cum eo ſurgat. 7699 animatus qui fuit ante (abortum), ut iam in utero matris uiueret et egressus uiuere poſſet. 7704 rara — absentia. 7710 in Euam — ita ut fieret Eua. 7712: quantam ſtaturam quiske in illa aetate (tricen-nali) aut habebat aut, ſi uſque ad hanc aetatem uixiſſet et creuiſſet, erat habiturus, tantam.. habebit. 7721 sqq.: ſed tamen, cum deitas ſit ſpiritus, non ipsam deitatem ſed tantum ſplendorem eius, qui ipsius quaſi aptum et indiuīſum indicium eſſet, hiſ oculis corporeis uidebiμus.

7735—88 a praecedentibus de uisione resurgentium pro-fectus exponit, quomodo sancti post iudicium aeternos repro-borum cruciatus uisuri iisque laetaturi ſint, etiam ſi parentes eorum crucientur; cfr. PL 4, 50, e—g. 7738 augebit, ſc. huius poenae aspectus. 7747 sqq.: haec ad crudelem illam ſententiam, quae ante expoſita eſſet, probandam afferuntur. 7749 accipit initium — incipit. 7754: cui non compatitur filius eius, immo laetitia exultat, quod.. Orcum. 7765 ſumpſerit = intel-legi uellet. 7767 sqq.: exponens glossa ſignificare uidetur, caeli ciuibus inesse.. compassionem; (ſed) non, quod.. inuicem. 7771 Velle = uoluntatem. 7772: quod ſcitur eſſe Dei uoluntatem, id tantum uult incola caeli. 7773 utile ſcire = quod iis ſcire utile erit. 7780—85 obiectionem continent contra illa prolata, quae praecedentibus uersibus 7777—79 dicta ſunt; deinde u. 7786—88 illi obiectioni respondet. Ceterum cfr. PL 4, 49, e.— 7780 ſtolam ſecundam, i. e. corpus in resurrectione glorificatum; cfr. ad u. 3571 sq.; „sanctus“ igitur hic animam sancti ſigni-ficat ante corporis resurrectionem. 7781 sq.: et hoc desiderio impeditur, quominus totus amori Auctoris adhaereat, donec corpus glorificatum resurgat, quo facto desiderium desinit. 7784 desiderii, ſc. explendi. 7785: ſic igitur non omnis poenae expers sanctus eſſe uidetur, ſicut u. 7779 dictum erat. 7787 donum laetitiae maius: ergo iam antea donum laetitiae habent, etsi poſtea augebitur, nec ullum dolorem poenamue eos ſentire inde effici poſteſt.

7789—803: de ſuffragiis sanctorum uiuentibus fauentium, cfr. PL 4, 45, f. g. 7792 sqq.: ſed quod (super uotis noſtris et precibus) uoluntatem Dei rimentur ſicque (i. e. et ea com-perta) nobis illa reportent, insinuent, nuntient, quae n. u. magistrum

Deum. Augustinus apud PL: „Angelis, qui sunt apud Deum, innotescunt petitiones nostrae, ut quodammodo eas offerant Deo et de eis consulant, et quod Deo iubente implendum esse cognoverint, hoc nobis euidenter uel latenter reportent.“ 7794: Ipsum Deum super his consulere caelestibus angelis et sanctis expedit, ut... 7796 sqq.: Sic animae sanctorum, dum Deum omnia scientem contemplantur, ab eo docentur, per uerbum eius uota precantum discentes et comperientes, num implenda sint. 7802 sic, sc. ut ipsi nobis fauent.

7804—40: de diuersis sanctorum mansionibus, cfr. PL 4, 49, a. c. d. 7806: Quod in scriptura „idem denarius“ uocatur, qui omnibus sanctis datur, Deus (= Dei uisio) est et uita aeterna. 7815 sqq.: nam per cognitionem Dei, per quam... aenigmate, habetur (eaque continetur) uita aeterna, quae semper omnis boni plena permanet, ideoque is, qui hac cognitione magis in mente fulget eamque ampliorem habet, beatior est. 7829 fructu. sc. centeno uel centesimo, cfr. u. 7835, Prudent. περὶ ὀτερὸν hymn. 14, 123; PP p. 1112 et 1260; respicitur parabole apud Matth. 13, 23 exposita, de quo loco Hieronymus in lib. I adv. Iouinianum: „triginta referuntur ad nuptias, sexaginta uero ad uiduas, porro centesimus numerus exprimit uirginitatis coronam.“ ipsi — uirgini. 7836: non tamen eos haec aureola siue hic fructus in mercede perenni praefert, i. e. maiorem iūs mercedem perennem praestat.

7841—900: de forma et sententia iudicij supremi; cfr. PL 4, 47, a—d; 48, d. 7845 nescia finis — utpote quae finem non habeat. 7846 aëreum caelum tantum, non tria superiora, cfr. 530. 7857: qui omnia terrena ob amorem Christi reliquerunt. 7872 priorum — populi antea (u. 7869) nominati. 7888 sententia bina: et beatiae uitiae tradens et condemnans. 7889: In (eos tamen) condemnatos &c. Ceterum PL 4, 47, c similiter inter eos bonos, qui iudicantur et regnant, et eos, qui non iudicantur et tamen regnant, distinguit; sed hanc distinctionem Andreas non habet, siue eam probauit siue non. 7894 sqq.: sicut (e contrario) in baptizatos, qui, quamuis per facta sua Christum negarint, ore tamen eum auctorem professi sunt, tempore iudicij uerbis Christi inuectio fiet, cum illis dicetur: „Ite maledicti &c.“

7901—40: de poena reproborum; cfr. PL 4, 50, a—c; 47, e. — 7901 sq.: extra... futuris — quae „exteriores ideo uocantur, quod in eis reprobi et corporali luce priuabuntur et propter perfectam mentis caecitatem extra lucem spiritualem, i. e. Deum, erunt.“ Prius deinde demonstratur u. 7903—7, alterum u. 7908—13, cfr. PP p. 950 sq. 7910 Deum... aequum — Dei bonitatem et misericordiam. 7918 sq. Non erit... supplicium meriti: „(quidam malam reproborum uoluntatem) peccatum esse fatentur, sed per illud eos non mereri aliquam poenam, quia non est ibi locus merendi; illud ergo peccatum dicunt non esse meritum supplicii (i. e. illud, quo merentur supplicium), sed

supplicium mali meriti, quod in hac uita praecessit.“ PL. 7921 sqq. cfr. PP p 1059: „poena aeterna est quoddam totum successuum; habet enim diuersas poenas siue partes, modo igneas, modo aqueas, et etiam, ut dicit Augustinus, ‘inter illas particulares poenas est interpolatio et interstitium, quo nil patiuntur corpora, ut postea grauius crucientur; transeunt enim ab aquis niuium ad calorem ignium nimium’“; ibd 1161. 7931 sqq. cfr. etiam PL 2, 6, d.

7941—68: de forma, in qua iudicabit Christus; cfr. PL 4, 48, a—c. 7941: Teste Iohanne Christus ideo iudicium faciet, quia filius hominis est. 7945 nec solus, sc. iudicium faciet. 7949 in forma serui (humana), quae (tamen) glorificata patebit: nam „cum in forma humana constet eum apparitum, quaeritur, an in forma illa gloriosa appareat, sicut uere est, an in forma qualis in passione extitit. Quidam putant a malis talem uideri, qualem crucifixerunt..., quia dicit scriptura: ‘ut uideant (eum), in quem pupugerunt’. Sed Augustinus aperte dicit formam serui glorificatam a bonis et malis tunc uideri, sic: ‘Cum in forma serui glorificata iudicantem uiderint boni et mali, tolletur impius, ut non uideat claritatem Dei, qua Deus est; quam soli mundo corde uidebunt, quod erit eis uita aeterna’. Forma ergo humana in Christo glorificata uidebitur a cunctis.“ PL. 7953 sq.: quam nemo sine mentis laetitia uidet, quare nemo praeter eos, qui mundum cor habent, eam uidebit. 7956 sqq.: Licet Christus secundum diuinam naturam corpora resuscitet, tamen secundum serui formam hoc facere ideo dicitur, quia in ea meruit..., ut corpora nostra de puluere resuscitanda essent. 7961 sqq. illud explicat, quod u. 7956 dixerat, Christum re uera secundum deitatem suam corpora resuscitare, sicut semper secundum deitatem animam uiuificare dicitur. 7962 hinc, i. e. ob hoc ipsum, quia Filius secundum deitatem „uita“ est, uirtute Dei animam „uiuificare“ dicitur. 7964: sed non minus ex uirtute Dei tantum mediator (Christus in humana forma apparet) corpora suscitat quam ex hac uirtute diuina animas uiuificat; et utrumque opus re uera aequum magnum est.

7969—8014: de qualitate luminarium caelestium tempore iudicii. 7975: „sol et luna dicuntur obscurari, non sui luminis priuatione, sed superueniente maioris luminis claritate“, PL 4, 48, e. 7979 non perturbante &c. — „non metu damnationis uel aliqua perturbatione pauoris, sed quadam admiratione eorum, quae uiderint“ PL. 7987 cum noua terra, sc. fuerit facta. 7992: quanta, die quarta orbis nascentis exorta, in septem primis mundi diebus splenduit. „Et erit lux solis septempli citer, id est sicut lux septem dierum: quia, quantum luxit sol in prima conditione septem dierum ante peccatum primi hominis, tantum lucebit post iudicium; minorata enim fuit lux solis et lunae aliorumque siderum per peccatum primi hominis.“ PL. 7995 pro „Tota“ fortasse scribendum est „Nota“; nam apud Zachar. 14, 7 est: „Et erit dies una, quae nota est Domino“. 7997

nouit — solet. 8007 Isidori locus, quem inuenire non potui, citatur a PL 4, 48, e; item uerba Hieronymi u. 8011 sqq. allata. 8008 nullis ... quoque beatis — ne beatis quidem (ullis).

8015—40: Christus Patri regnum suum, id est fideles subiectos, post iudicium tradet. 8026: et haec membra sua, quae uiâ fidei antea direxit, iam ipse rex eorum ad rem erget, i. e. ad ipsam ueritatem educet. 8029 scilicet — id est. 8034 sq.: saties desiderii sine poena = saties desiderii, quae non, ut solet satietas, cum poena fastidii coniuncta est. 8035 cum desiderio satiei = simulque desiderium satiei, scil. sine poena, quod non cum ea anxietatis poena, quae desiderium comitari solet (u. 7784), coniunctum est; cfr. Gregor. lib. Moral. XVIII, 54, 91.

---

---



## **Addenda to Gertz's Commentarius**

The addenda consist of (a) miscellaneous additions to and corrections of Gertz's commentary; (b) notes on the two parts of the poem that he left un-commented, viz. verses 782–1416 and 6675–7298.

*Re (a).* These notes do not represent a systematic attempt to update Gertz's commentary.

*Re (b).* The principal aim of our notes on the Trinitarian and Christological passages is to help the reader follow Andrew's argumentation. References to parallel texts are not meant to be exhaustive. If one other text is in itself sufficient to elucidate Andrew's, we often (quote and) refer to that text alone, even though several others may be relevant.

For editions and manuscripts used in our commentary, see the Bibliography, pp. 501–08 below. For abbreviations of the names of authors and their works, cf. the Index of Quotations, pp. 509–21 below. Notice the following:

Apologia = Anonymus, *Apologia de Verbo Incarnato*, ed. Haring.

Godefridus = Godefridus Pictaviensis.

PL = *Patrologia Latina* (whereas in Gertz's commentary “PL” = Petrus Lombardus, *Sententiae*).

P. Pict. = Petrus Pictaviensis, *Sententiae*, PL 211 (abbreviated “PP” in Gertz's commentary).

Tract. horn. ass. = Anonymus, *Tractatus de homine assumpto*, ed. Dugauquier.

When quoting manuscript sources, we use our own orthography and punctuation. When quoting printed editions, we sometimes tacitly change the orthography or punctuation used by the editors.

We sometimes capitalize the names of the divine persons ('Pater', 'Filius'), but not consistently.

Following medieval practice, we often use feminine pronouns and adjectives when speaking about propositions. Thus, “Haec ‘deus est unus’ est vera” = “The proposition ‘deus est unus’ is true”. We often number a proposition and then use the number as a name of the proposition. Thus, “Ex (2) ‘pater non est homo’ non sequitur (3) ‘pater est non-homo’, quia (3) = (3a) ‘pater est aliquid quod non est homo’” = “From the proposition (2) ‘pater non est homo’ the proposition (3) ‘pater est non-homo’ does not follow, because the proposition (3) – i.e., ‘pater est non-homo’ – is equivalent to the proposition (3a) ‘pater est aliquid quod non est homo’”.

**1–189** De his versibus, et praesertim de auctoribus quibus Andreas nesus est, disputavit Mortensen (1985, 1 & 2).

**190–255** Hos versus commentario enucleavit F.S. Pedersen (1985). Ad 208–251 cf. Mortensen (1985,2: ch. III.1).

**204** Temporis principium “*infra sumptum*” dicitur ut quodammodo in ipso tempore inclusum intelligatur neque, quasi res per se existens esset, supra (ante) tempus fuisse. Stephanus Langton in Comm. Sent. pp. 70–71 Landgraf locutione ‘*infra tempus*’ bis utitur; idem in Summa 158vA/p. 119: “*hoc nomen ‘principium’ ita se habet quod alia ab eo et nihil supra illud.*” Gertz “*infra sumptum*” per “*secundo loco nominatum*” exposuit.

**252–255** (252–53:) Respondetur quaestioni “an res corporalis creata sit formata an informis”; cf. Summam Martini 41rB (254–255:) Respondeatur quaestioni “utrum deus omnia simul creaverit”; cf. Summam Martini 41rB: “*Quaeritur utrum deus omnia simul creavit. Quod videtur: inquit enim auctoritas ‘Qui vivit in aeternum creavit omnia simul’.* Econtra doceri videtur quod non simul: Moyses enim in Exameron opera VI dierum distinxit, et dixit hominem factum esse sexto die; ergo non omnia creata fuerunt simul” et quae sequuntur.

**331–344** Hos versus commentatus est F.S. Pedersen (1985). Cf. Mortensen (1985,2: ch. III.1).

**345–504** Cf. Mortensen (1985,2: 169–74); praesertim ad vv. 391–424.

**505–707** Hos versus commentario instruxit F.S. Pedersen (1985).

**586** ‘*sementinis*’ quod scripsimus (*sementius cod.*) veram lectionem esse ex Petri Comestoris Historia Scholastica, PL 198: 1059D cum additione 1059D–1060A, apparet: “*sementis proprie dicitur, dum adhuc est in sementino (Additio:) id est in herba ipsum semen proferente, quia sementinum dicitur, quasi semen tenens, sementis, quasi semen tentum, vel detentum.*” Praeterea, in Glossa Stephani Langton in Comestoris Hist. Schol., p. 47 ed. Lacombe, “*In hoc capitulo invenis differentiam inter hec nomina: Semen, sementis, sementinum*” legitur.

**632–644** Cf. Mortensen (1985,2: 144sq.).

**678sqq.** Cf. Perger (1894: 34): “*Wenn Sunesön (...) V. 680 die kirkliche Bezeichnung des Schaltjahres als annus bissextilis erklärt mit quod bis per “sesto” numeretur luna “Kalendas” und G. <ertz> glaubt berichtigten zu sollen, man habe im Schaltjahre den 25. Febr. als ante diem bis sextum Kal. Mart. bezeichnet und nicht zweimal gesagt sexto Kal. Mart., so dürfte das Missverständnis doch wohl auf G.’ Seite, nicht auf Seiten des Scriptors zu suchen sein. Dieser spricht eben nicht von der altrömischen Bezeichnungsweise, sondern von der kirklichen, wie sie in der Rubrik des Martyrologiums ad diem 23. Febr. fixirt ist: In anno bissextili bis pronuntiatur “sesto Kalendas Martii”, sc. prima die i. e. 24: “Sexto Kal. Mart.”, secunda die i. e. 25: “Sexto Kal. Mart.””*

**708–736** Raasted (1985) de ratione qua Andreas in versibus de quinta die (708–36, 1854–62, 1899–1902, 1974–80, 2016–19) fontibus suis usus est, disputavit.

**737–767** Cf. Mortensen (1985,2: ch. III.1).

**782–1416** Tractatus de trinitate sive de vocabulis quae de deo dicuntur. Materiam hoc loco tractatam magistri theologiae, cum summas quaestionum theologiae conscriberent, in primo libro disputare consueverant. In primis conferendi sunt Petrus Lombardus, Petrus Pictaviensis, Stephanus Langton, Praepositinus, Martinus, Godefridus Pictaviensis. Cum Summa Stephani versus Andreeae saepenumero ita consonant ut velut paraphrasis poetica Summae eius appareant. Interdum vero Andreas Summam non sequitur. Fontes secundarios eum adhibuisse perquam verisimile est; quamquam hoc etiam suspicari licet, non ipsam Summam ea forma qua nobis praesto est Andreeae notam fuisse, sed aut fontem Summae aut primam Summae redactionem, quam Stephanus, cum iuvenis magister esset, composisset.

Materiam suam Andreas ita disposuit ut post introductionem (782–794), de nomine essentiali quod est ‘deus’ et verbo personali quod est ‘generat’ (sive ‘gignit’) quaestionibusque eo pertinentibus tractaret (795–904) – praesertim de quaestione utrum nomen esse essentialia verbo personali addito ita restringatur ut pro persona stet. Deinde (905–975) de missione, auctoritate et processione. Postea (976–1022) de dictionibus ‘unus’ et ‘trinus’. Sequitur (1023–1106) tractatus de voce ‘persona’. 1107–1190 de verbis ‘esse’ ‘dicere’ ‘audire’ agitur. Librum secundum tractatus de modis quibus nomina substantiva et adiectiva de deo dicantur claudit (1191–1227). Ultimo loco, in libro tertio (1228–1416), tractatus de notionibus sive proprietatibus positus est.

**782–783** Quinque illas proprietates sive notiones enumerat Stephanus Langton, Quaest. 258rB/p. 208: “Quinque sunt notiones: tres in patre (paternitas, innascibilitas, spiratio), duae in filio (filiatio et spiratio), una in spiritu sancto (processio).”

**784–794** Nomina et verba quae de deo dicuntur in genera Andreas disponit. Nominum sunt tria: “Naturae nomina” sunt nomina essentialia, quae divinam essentiam = deitatem = usiam = naturam significant, ut ‘deus’. “Personarum” vel personalia nomina sunt ut ‘Pater’. “Proprietatum” vel notionalia nomina sunt ut ‘paternitas’. Verborum duo genera esse dicit: (1) quae usiae convenient = verba essentialia; haec sunt quae et de tota trinitate et de singulis personis dici possunt, ut ‘est’; (2) personalia; haec sunt quae de una persona (ut ‘Pater generat’) aut de duabus (ut ‘Pater spirat’ ‘Filius spirat’) dici possunt, non autem de omnibus. (790–94:) Fit autem

ut idem verbum personale et essentiale sit. Ita ‘spirare’ (a) ut significativum proprietatis (notionis), (b) ut verbum essentiale accipi potest.

**795–823** Tractatus de potentia generandi. De propositione ‘Pater potest generare’, in qua verbo essentiali (‘potest’) verbum personale (‘generare’) adiunctum est. Vv. 795–811 Andreas conclusiones principales ponit, 812–18 instantiam removet, 819–23 quaestionem incidentalem solvit. Cf. P. Lomb. I d.7: P. Pict. 1 c.6; Stephanus Langton, Summa 155rB–vA/pp. 94–96; Martinus, Summa 26rA–27rB; Praepositinus, Summa 1.5.1–4, pp. 218–220 Angelini; Guillelmus Altissiodorensis, Summa Aurea I.viii.iii–iv.

**795–811** Conclusiones ponuntur hae: (1) (795–800:) Non sequitur ‘Pater generat, ergo Pater agit’; si enim generatio esset actus, gignere toti trinitati conveniret. (2) (800–803:) Non sequitur ‘quicquid potest Pater, potest Filius; Pater potest generare, ergo Filius potest generare’; “quia ‘generare’ non sumitur sub hoc ipso ‘aliquid’”, ut dicit Stephanus Langton in Summa 155rB/p. 94. (3) (804–805:) In hac propositione ‘Pater potest generare’ verbo ‘potest’ divina essentia (natura) copulatur quamquam infinitivo ‘generare’ proprietas Patris (paternitas) significatur. (4) (806–808:) Potentia generandi in Patre est vera potentia, i.e. ipsa divina essentia. – Quare defectum esse noster neget, planis verbis non dicit. Num sensus hic est: “non est defectus (= impotentia) Patris quod generat sed non generatur”? Cf. Summam Praepositini 1.5.2, p. 220 Angelini: “Dixit enim Augustinus: ‘Non enim non potuit filius generare filium, sed non oportuit’. Videtur quod duae negotiones faciant unam affirmationem. Et ita filius potest generare filium. § Ad hoc bene respondetur in Sententiis, quod non ostenditur ibi quod filius potuit generare filium, sed removetur ab [ab V: ad ed.] eo impotentia, ut sit sensus: non est de impotentia filii quod non potuit generare, sicut non est de impotentia patris quod non potuit generari. Sed de proprietate qua unus distinguitur ab alio. Sicut non est de impotentia hominis quod non potest esse asinus, sed de substantiali proprietate qua ab asino distinguitur.” (5) (809–811:) Quamquam potentia generandi, cum ipsa divina essentia sit, ut in Patre, ita in Filio est, potentia Filium generandi non est in Filio. – Utrum ‘potentia gignendi’ an ‘deitas’ pronomine ‘ipsa’ (809) referatur dubitamus. Si ‘potentia gignendi’, ideo fortasse ‘communis’ dicitur quod indeterminata ad generationem activam et passivam sit. Cf. P. Lomb. 1 d.7 c.2 n.2: “Eandem enim habet potentiam penitus Filius quam et Pater, qua Pater potuit gignere, et Filius potuit gigni.”

**812–818** Instantia cum sua refutatione. Collatis propositionibus ‘Pater convenit cum filio spiratione’ et ‘Pater potest generare’, ut hoc verbum ‘posse’ non semper divinam essentiam copulet effici posse videtur. Quod vero effici negat Andreas. Quae obscure dicit noster, liquido sermone apud Stephanum Langton leguntur, Summa 155vA/pp. 95–6: “Item, cum dicitur

‘pater convenit cum filio spiratione’, ablativus notionalis facit quod hoc verbum ‘convenit’ non copulat divinam essentiam nec aliquid, cum alibi copularet divinam essentiam; sed tantum notat distinctionem. Eadem ratione, cum dicitur ‘pater potest generare’, hoc verbum ‘generare’ debet facere quod hoc verbum ‘potest’ non copulat divinam essentiam. – Non est simile: ablativus enim in hac ‘pater convenit cum filio spiratione’ principalis est et causa verbi; cum vero dicitur ‘pater potest generare’, hoc verbum ‘potest’ est principale et facit quod hoc verbum ‘generare’ locum habet; ex potentia enim est quod generat.” Est igitur sensus versuum 812sqq. hic: Cum Filio Pater spirando convenit, et sic Pater ex-ablativo-verbum (sc. ‘spirando’) sortitur ut ipso verbo (sc. ‘convenit’) non divina essentia sed notio notetur, cum verbi (sc. ‘convenit’) propter ipsum (sc. hunc ablativum ‘spirando’) sociatio fiat; in hac vero ‘Pater generare potest’, cum principalius sit hoc verbum ‘potest’ et quasi causa quare ‘generare’ dici possit, hoc verbum ‘potest’ essentiam copulat, etsi ... Cf. versus 1295–1299.

**819–823** Solvitur quaestio utrum ‘Filius est similis Patri spiratione’ eadem ratione vera sit qua ‘Pater convenit cum Filio spiratione’. Cf. Stephanum Langton in Summa 156vB/p. 105: “Quaeritur quare haec non sit vera ‘pater notione est similis filio’ sicut haec ‘pater notione convenit cum filio’. Eandem quaestionem Langton in Quaestionibus, 285vA, tractat. Cf. praeterea Summam eiusdem 148vB/p. 49: ‘haec dictio ‘similis’ copulat divinam essentiam, et praeterea connotat distinctionem. Unde haec est falsa ‘divina essentia est similis filio’”

**824–867** De hoc nomine essentiali ‘deus’ et quomodo restringi possit ut pro persona supponat. Ut dicit Stephanus Langton in Summa, 149vB/p. 57: “haec dictio ‘deus’ restringitur ad supponendum pro persona per terminum copulantem notionem vel per terminum notantem notionem. Per terminum copulantem, ut ‘deus generat’; per terminum notantem, ut ‘deus de deo.’” Vv. 824–862 Andreas de propositione quae est ‘deus generat (deum)’ eiusque similibus agit; vv. 863–867 de hac locutione ‘deus de deo’. Cf. P. Lomb. I d.4 c.1 & d.27 c.5; P. Pict. I.19 & 27; Summam Stephani Langton 149v–151v/pp. 57sqq.: Quaestiones eiusdem 283v–284r/pp. 213sqq.; Summam Praepositini 1.1.4, pp. 214sqq. Angelini; Martini 25v; Guillelmi Altisiorensis I.iv.iv., pp. 44sqq. Ribaillier.

**824–827** Regula generalis: cum verbo essentiali hoc nomen ‘deus’ essentiam supponit; cum verbo personali personam cui verbum convenit.

**828–831** Andreas secundam partem regulae generalis infringi posse notat. Stephanus Langton, Summa 149vB/p. 57: “Item notandum: cum haec dictio ‘deus’ restringitur ad supponendum personaliter, habet quandam suppositionem communem ad essentiam et ad personam, et est simile cum dicitur ‘homo supponit’: iste terminus ‘homo’ communiter se habet ad simplicem et ad personalem suppositionem. Unde utraque istarum est vera

‘homo supponit’ ‘homo non supponit’. Eodem modo haec est vera ‘deus generat’ habito respectu ad personam, et haec est vera ‘deus non generat’ habito respectu ad essentiam.”

**832–835** Primam partem regulae generalis infringi posse negat. Ratiocinatio quam Andreas adumbrat haec fere esse videtur: Si in hac ‘deus est’, ‘deus’ personam supponere posset, haec ‘deus est et ipse gignit’ vera esset; ergo et haec disiunctiva ‘deus est una tantum persona et ipse gignit, vel deus est plures personae et ipse gignit’; sed utraque pars propositionis disiunctivae neganda est; ergo hypothesis ex qua deducta est falsa est.

**836–838** Sensus: Ex supradictis haec ‘deus est qui gignit’ falsa esse videatur, cum ‘deus’ secundum regulam pro essentia supponat. Huic opponitur ‘deus’ nomine relativo quod est ‘qui’ ita restringi ut pro persona (Patre) supponere possit.

**839–844** Sensus: Vis relativi etiam in hoc exemplo apparent: ‘deum generat deus qui est (deus Pater) vel deum generat deus qui non est (deus Pater)’. Cum enim in hac propositione ‘deum generat deus’ verbum personale ut hoc nomen ‘deus’ pro persona (Patre) supponat efficiat et ita propositionem veram reddat, relativum adiectum suppositionem quam hoc verbum ‘est’ requirit nomini ‘deus’ confert. Prima ergo pars propositionis disiunctivae divinam essentiam generare indicat, quod falsum est. Secunda vero pars, sc. ‘deum generat deus qui non est (deus Pater)’, nugatoria est quia subiectus terminus (‘deus qui non est’) falsum implicat. Cf. Petri Pictaviensis Sententias, I.27; P. Lomb. I d.4 c. 1 n. 2.

**845–852** Sensus: Cum hoc verbum ‘distingui’ non sit personale ut ‘gigni’, non sequitur ‘deus a deo gignitur, ergo deus a deo distinguitur’: in antecedente enim est suppositio pro persona, in consequente pro essentia.

**853–858** Non sequitur ‘deus a deo generatur, ergo a se aut alio deo’. De hoc dicit Stephanus Langton, Summa 150rB/p. 62: “Item, ‘deus generat deum, ergo se deum vel alium deum’. § Solutio. Hoc argumentum non valet. Haec enim est falsa ‘generat se deum’, quia relativum refert tantum suppositum, et ita personam, unde haec est vera ‘deus generat et ille et filius sunt’. Item haec est falsa ‘deus generat alium deum’, quia haec dictio ‘alium’ exigit diversitatem in essentia, cum adiungitur [-]itur *Ch,V:* -atur *C, ed.*] huic termino ‘deus’, cum significet [c.s. *Ch,V:* consignificat *C, ed.*] essentiam ubicumque ponatur; haec autem vera ‘deus generat alium a se’. Generaliter ergo dicimus quod nulla copulatio vel disiunctio admittenda est in huiusmodi ‘deus vel deus’ ‘deus et deus’ ‘et deus et deus’ ‘unus et alius deus’ ‘vel unus vel alius deus’ – ‘generat’ vel ‘generatur’.”

**859–862** Cf. 976sqq.

**863–867** De hac locutione ‘deus de deo’. “Dictio qua notio sacra notatur, non designatur” est praepositio ‘de’. Cf. locum e Stephano Langton ad 824–67 adlatum. “Designatur” = “significatur”.

**868–894** De nominibus essentialibus quae restrictionem non patiuntur.

**868–882** Sensus hic est: haec nomina ‘usia, deitas, essentia’ non possunt per personalia verba restringi ut supponant personas; supponunt enim divinam essentiam ut subsistentem. Illa vero nomina ‘plasmator, deus &c.’, quae per verba personalia ad personas supponendas restringuntur, divinam essentiam ut participatam supponunt. Hinc liquet quare ‘tres personae sunt unius deitatis’ dicamus, non autem ‘tres personae sunt unius dei’ (cf. P. Lomb. I d.34 c.2 (146)). Est igitur attendendus modus significandi, ut in alio quoque exemplo liquet: bene enim dicimus ‘deus est in lapide’, sed quia alio modo ‘deitas’ divinam essentiam significat, ‘deitas est in lapide’ dicere non licet; nam in hac propositione ‘deitas’ divinam essentiam ut proprietatem supponeret, quare ‘ergo lapis est deus’ inferri posset. Cf. 1191–1201. Apud Stephanum Langton legimus (Summa 150rA/p. 59sqq.:) “Item, cum utraque istarum dictionum sit essentialis, ‘deus’, ‘deitas’, quare non potest restringi hoc nomen ‘deitas’ ut supponat pro persona, ut sic dicatur ‘deitas generat’ sicut ‘deus generat’? – Haec est ratio: hoc nomen ‘deitas’ significat essentiam ut subsistentem, hoc nomen ‘deus’ significat essentiam ut inhaerentem. – Simile: cum dicitur ‘humanitas’ designatur species ut subsistens; cum dicitur ‘homo’ [est] designatur species ut participata. – Sed contra praedictum simile invenitur, sc. ‘lumen de lumine’. – Ad hoc dicimus quod ‘lumen’ dicitur proprietas ipsa subsistens, et secundum hoc non potest restringi; et dicitur ipsum luminosum, et secundum hoc potest restringi, et dicitur ‘lumen de lumine’. – Item ex praemissis patet quare dicatur ‘tres personae sunt eiusdem essentiae’, non tamen ‘eiusdem dei’” Porro, fol. 156rB/p. 100: “Iste vero terminus in masculino genere substantivatus ‘aeternus’ nequaquam restringi potest ad proprietatem, quia hoc quod significat significat quasi animatum et ut agens. Et non est mirum si modus significandi ita impedit, quia alibi contingit: haec enim vera ‘deus est in lapide’, haec vero falsa ‘deitas (vel divina essentia) est in lapide’, quia cum hoc nomen ‘deitas’ supponat divinam essentiam ut proprietatem, exigeretur quod res ablativi posset [-et Ch.V: -it C & ed.] denominari ab ea.”

**883–894** Docet divinam essentiam nec genuisse nec genitam esse. Cf. P. Lombardi Sententias I d.5 cc.1–2. Stephanus Langton in Summa (150rA/p. 59): “Item huiusmodi locutio invenitur ‘essentia gignit’, quae nullo modo est admittenda, sed excusanda sic: ibi attribuitur essentiae quod est habentis essentiam. Eodem modo est haec excusanda ‘essentia est de essentia’ et non admittenda.” Versus 885–86 sic legas: ne substantia (= essentia) sit sua genetrix vel sua proles, quamvis substantia sit Pater et sit Filius Patris.

**895–904** Utrum Pater assumpserit carnem, et utrum divina essentia incarnata sit. Cf. P. Lomb. III d.1 & 5; P. Pict. IV.8–9; Stephani Langton

Comm. in Sententias pp. 104 & 108–09 ed. Landgraf; eiusdem Quaestiones 189rA & 271rB; Summam Praepositini 53rB (in quaestione “an divina essentia sit nata”); Summam Martini 105vB–106vA; Godefridi 118rB–vA.

Conclusiones Andreae sunt: (1) Verbum ‘assumpsit (carnem)’ magis essentiale quam personale est, sed in eo includitur relatio ad personam. Cf. Summam Martini 105vB–106rA: “Filiū incarnatum esse credit ecclesia et solum filium. Tamen quod tota trinitas sit incarnata satagunt scholares probare causa exercitii disputantes in hunc modum: Sicut est una essentia trium personarum, ita est una operatio earum; igitur quicquid egit vel agit filius, agit vel egit pater et spiritus sanctus; verbum assumpsit carnem, ergo et pater et spiritus sanctus carnem assumpsit, vel assumere non est aliquid agere (...). § Responsio: per hunc terminum ‘assumere carnem’ notatur non tantum quid fiat sed quid cui fit, ut iuxta †opinionem† verbi ‘assumere carnem’ sit ad se, ut ‘sibi carnem assumere’, quia ibi quodam modo relatio intelligitur. Pater autem, etsi carnem assumpserit filio, non tamen assumpsit carnem, quia non eam assumpsit sibi. Non enim pater unitus est carni, quanvis illud quod est pater unitum sit carni.” (2) Propositio ‘divina essentia incarnata fuit’ vera est, cum Filius secundum divinam naturam, non secundum humanam, incarnatus sit (900, cf. 6998–7000); ex ea autem ‘Pater incarnatus fuit’ non sequitur, cum hoc nomen ‘incarnata’ (903–4 “unum nomen”), etsi divinam essentiam copulet, ad unam solam personam (sc. Filium) respiciat.

**905–975** De missione, auctoritate et processione. Cf. P. Lomb. I d.13–18 & 32; P. Pict. I.21 & 31 & 35–36; Stephani Langton Summam 151v–157r/ pp. 70sqq.; eiusdem Quaestiones 180vB–181vB, 186rB–vB, 218r/p. 203; eiusdem Comm. in Sent. pp. 13–19 & 42–43 ed. Landgraf; Summam Praepositini 1.15, pp. 288sqq. Angelini; Summam Martini 29rB–30vA; Godefridi 8r–10v; Summam Auream Guillelmi Altissiodorensis I.viii.vii–viii, pp. 147sqq. Ribaillier.

**905–932** De vocabulis ‘missus’ ‘mittit’ ‘mittitur’ ‘missio’. Summa dictorum haec est: (905–06:) Hoc nomen ‘missus’ divinam essentiam copulat, sed personam supponit. Cf. 7200. Idem dicit Langton in Summa 155rA/p. 93: “haec dictio ‘missus’ supponit personam et significat essentiam”; cf. eiusdem Quaestiones 284vA/p. 219. (906–08:) Pater missus dici non debet, cum a nullo auctore sit, ‘missus’ vero ab auctore esse connotet. (909–15:) Pater est auctor Filii et Spiritus Sancti, et utrumque mittit, a neutro vero mittitur. ‘Filius mittit Spiritum Sanctum’ ‘Filius a se mittitur’ ‘Spiritus Sanctus mittit Filium’ ‘S.S. mittitur a se’ omnes concedendae sunt, non autem ‘Pater se mittit’ neque ‘Pater a se mittitur’, quamquam eis similes, sc. ‘Pater se infundit’ et ‘Pater a se infunditur’, concedendae sunt. ‘Pater mittitur’ neganda est, cum Pater auctor et a nullo auctore sit. (916:) Filium et a Patre et a Spiritu Sancto missum esse verum est. (917–924:) Missio non est

proprietas sive notio qua Filius a Patre distinguitur – et hoc duabus de causis: a) quoniam missio est divina essentia, b) quoniam non solus Filius sed etiam Spiritus Sanctus mittitur. Cum missio qua Filius in homines mittitur divina essentia sit, Patri quidem inest, non tamen ut Pater mittatur sed ut infundatur facit. (925–932.) ‘Aeternus missus est et ille non est Pater’ vera est, cum ‘ille’ pro persona supponat; sed ‘Aeternus missus est et ille deus non est Pater’ falsa est, cum ‘(ille) deus’ pro essentia supponat. Praeterea, de propositionibus ‘Pater et missus sunt’ ‘Pater et ens missus sunt’ idem est iudicium: utraque neganda est. Nam ut ‘missus’ essentiam significat, ita ‘ens missus’; cum autem dictione ‘y’ essentia quaedam significatur, huiusmodi propositio ‘x et y sunt’ ita demum vera esse potest si qui vel quod per ‘x’ importatur diversae sit essentiae; atqui Pater et missus eiusdem sunt essentiae.

Ad vv. 925–27 conferendus est Stephanus Langton in Summa 150vA/p. 64sq.: “Item, missus est et illum esse est enuntiabile, ergo missus est et illum deum esse est enuntiabile, ergo missus est et ille deus non est pater. § Contra: in praedicta haec dictio ‘deus’ supponit tantum pro essentia, quia haec dictio ‘ille’ non est dictio notionalis, et ita non potest restringere. Nihil enim potest restringere ‘deus’ ad supponendum personam nisi dictio notionalis. § Quare dicimus quod est incongrua ‘missus est et illum deum esse est enuntiabile’ ac si poneretur loco huius dictionis ‘deum’ haec dictio ‘essentiam’.”

Ad vv. 928–32 intellegendos multum eiusdem Summa 151vB/p. 71 iuvat, quamquam Stephanus a nostro in hoc differt quod de propositionibus ‘Pater et missus sunt’ ‘Pater et ens missus sunt’ idem esse iudicium negat: “Item, cum dicitur ‘ens missus est’, iste terminus ‘ens’ supponit tantum personam, quia esse missum convenit tantum personae, et iste terminus ‘ens’ non copulat essentiam quantum in se est, ergo licet iste terminus ‘missus’ copulet essentiam erit haec vera ‘ens missus et pater sunt’. § Simile: ‘persona potens et persona potens sunt’; sed istae aequivalent ‘ens albus’ et ‘albens’, ergo et istae ‘ens missus’ et ‘missus’ et vere dicitur ‘ens missus et pater sunt’, ergo vere dicitur ‘missus et pater sunt’, quod falsum est, quia haec dictio ‘et’ exigeret quod pater et missus non essent eiusdem essentiae sed diversae. § Quare dicimus propter rationem dictam in opponendo quod haec est vera ‘ens missus et pater sunt’ quia fit copulatio inter principalia, et haec dictio ‘ens’ [ens om. C & ed.] quantum in se est nec supponit nec significat essentiam, et non sequitur ‘ergo missus et pater sunt’, quia haec dictio ‘missus’ significat essentiam et principaliter venit in copulatione.”

**937–944** Agitur de hac propositione ‘Pater diligit Filium Spiritu Sancto’, quam ex verbis Augustini (De Trin. VI.5.7) haberi dicebant theologi. Cf. P. Lomb. I d.32. Tres illius dicti expositiones Andreas profert, ad quas intellegendas Stephani Langton Summam conferas (152vA/p. 76): “<1. cf.

942–944> Ad hoc dicunt quidam quod haec est vera hoc modo: ‘pater diligit filium spiritu sancto’ i.e. pater diligit filium dilectione, et dilectio attribuitur spiritui sancto. (...) <2. cf. 937–939> Alii dicunt quod sicut haec est vera ‘pater operatur per filium’ i.e. filius operatur auctore patre, ita et haec ‘pater diligit filium spiritu sancto’ i.e. spiritus sanctus diligit filium auctore patre. (...) <3. cf. 940–941> Quare dicimus quod sicut haec dictio ‘quia’ est ostensiva sive causalis, ita et ablativus. Unde haec est vera ‘pater diligit filium spiritu sancto’ ita quod ablativi sint ostensivi, et est sensus: spiritus sanctus est argumentum dilectionis patris et filii quia procedit ab utroque, sicut proles est argumentum dilectionis parentum cum ab utroque procedit.” Cf. praeterea Guillelmi Altissiodorensis Summam Auream I. viii. vii, pp. 146sqq. Ribaillier.

**945–955** De propositionibus quibus aliquid ‘per Filium’ fieri dicitur. (945–950.) Quaeritur, cum vere dicatur (1) ‘Pater creat omnia/iustificat per Filium’, quare non similiter vere dicatur (2) ‘Pater est creator/iustus per Filium’ vel ‘scit/est/sapit per Filium’. Respondetur: Quando praedicatum connotat effectum in creatura ut in exercitio, ‘per Filium’ auctoritatem Patris respectu Filii notat, ita ut sensus sit “ille effectus procedit a Filio mediante auctoritate Patris”. Sic est in (1), quare tales propositiones verae sunt. Sic autem non est in (2). Fusius de hac quaestione tractat Stephanus Langton, Summa 153rA–154rA/pp. 79–85, unde haec excerptimus: “PER. Item quaeritur, cum vere dicatur ‘pater operatur per filium’ quare non similiter vere dicatur ‘pater scit hoc’ vel ‘sapit per filium’. Quo concesso: ergo pater est sapiens filio. § Ad hoc dicimus quod cum dicitur ‘pater operatur per filium’, hoc verbum ‘operatur’ connotat effectum in creatura, et ille effectus procedit a filio mediante auctoritate patris. Cum vero dicitur ‘pater scit hoc’ vel ‘sapit per filium’, nullus datur intelligi effectus, sed tantum copulatur essentia, et ideo <aliud> est hinc inde. (...) § Sed contra hoc sic: haec est vera ‘pater creat per filium’ et non exigitur nisi quod creatio quae est in creatura sit a filio. Eadem ratione haec est vera ‘pater spirat spiritum sanctum per filium’ cum spiratio spiritus sancti sit a filio. § Ad hoc dicimus quod aliud est hinc inde, quia hoc verbum ‘creat’ connotat effectum in creatura ut in exercitio; unde etiam hoc argumentum non valet: ‘pater creat per filium ergo pater est creator per filium’, quod sequentia expressius docebunt. (...) § Item quando praedicatus de persona dicitur respectu creaturae, tunc potest notari effectus ut in exercitio vel non. Si notatur effectus ut in exercitio, notabitur auctoritas in re nominativi respectu rei accusativi. Unde huiusmodi sunt verae, ut praedictum est, ‘pater praedestinavit per filium’. – Si non notatur effectus ut in exercitio, tunc notabitur auctoritas in re accusativi respectu rei nominativi; unde haec est falsa ‘pater est iustus per filium’, haec autem vera ‘pater sanctificat per filium’ iuxta praedictam rationem.” (951–955.) Cf. Stephani Langton Summam 154rA/p. 85: “Item Hila-

rius dicit quod filius agit per se et non est a se. Ergo ‘filius agit per filium’ – quae quolibet modo intellecta falsa est. § Ad hoc dicimus quod haec est duplex ‘filius agit per se’, quia haec vox ‘per se’ potest contrahere significationem ex partibus, et sic falsa est, vel potest esse quasi adverbialis determinatio, ut is sit sensus ‘filius agit naturaliter’, et sic vera est.”

**956–975** De dupli missione Christi et de processione Spiritus Sancti. De vocabulis ad processionem pertinentibus hae dantur regulae: (1) Verbum ‘procedere’ de processione temporali dictum divinam essentiam significat et effectum in creatura notat. Cf. Stephanum Langton in Summa 155rB/p. 94sq.: “hoc verbum ‘procedere’ copulat divinam essentiam et praeterea connotat effectum in creatura”. (2) Nomen ‘processio’, cum de processione aeterna fit sermo, notionem processionis significat et supponit. (3) Nomina ‘dilectio’ et ‘donum’ eandem notionem significant, sed personam Sancti Spiritus supponunt. (4) ‘Donabile’ vero et ‘donatur’ divinam essentiam copulant.

Ad versus 966–75 intellegendos adhibendus est Stephanus Langton qui in Summa 157rA-B/pp. 107–08 dicit: “Item, processio est quaedam notio quae est in spiritu sancto, et huiusmodi notio distinguitur per plura nomina, sic: ‘caritas’ ‘dilectio’ ‘donum’ ‘amor’ ‘processio’. Sed nota: nullum eorum significat et supponit notionem illam praeter quam hoc nomen ‘processio’, sed istud significat et supponit, alia vero copulant <sive significant>, sed non supponunt [sive significant]. Simile: hoc nomen ‘pater’ copulat notionem et supponit personam et non notionem. (...) <*Instantiae*> Item in Sententiis dicitur ab Augustino: Semper procedit spiritus sanctus et non ex tempore sed ab aeternitate procedit, sed quia sic procedebat ut esset donabile, iam donum erat antequam esset cui daretur; ergo quia donabile erat, donum erat; sed ‘donum erat’ copulat notionem, ergo et ‘donabile’. – Item sicut se habent ‘nascibilis’ et ‘natus’, ita se habent ‘donabile’ et ‘donum’. Sed utrumque praedictorum copulat notionem, ergo utrumque istorum ‘donabilis’ et ‘donum’. § Contra: hoc verbum ‘donatur’ copulat divinam essentiam, ergo et ‘donabilis’, eadem ratione et ‘nascibilis’. § Ad hoc dicimus quod ‘donabilis’ copulat divinam essentiam sicut et suum verbum, et haec dictio ‘nascibilis’ copulat notionem sicut et suum verbum, sc. ‘nasci’, et non valet argumentum contra. § Item hoc argumentum non valet ‘quia sic [sic Ch: sicut C& ed.] procedebat ut esset donabile, iam donum erat etc., ergo quia erat donabile erat donum’: hoc enim verbum ‘procedebat’ copulat notionem, et gratia eius sequitur ‘donum’, quod tantum copulat notionem. (...) <*Instantia*.> § Item sicut se habent ‘miseretur’ et ‘misericors’, ita se habent ‘donatur’ et ‘donum’; sed ‘misericors’ connotat effectum in creatura sicut et suum verbum, ergo ‘donum’ connotat effectum in creatura sicut ‘donatur’, sed nullo modo potest notare effectum in creatura nisi significet divinam essentiam vel consignificet, ergo videtur quod haec dictio ‘donum’ con-

significet essentiam, quod falsum est. § Quare dicimus quod ‘donum’ et ‘dōnatur’ non ita se habent sicut ‘misericors’ et ‘miseretur’, quia haec dictio ‘donum’ appropriata est spiritui sancto omnino sicut et ‘dilectio’, et utrumque illorum tantum supponit personam et copulat notionem, et neutrum significat vel consignificat essentiam, nec aliquod sumptum ab eis.”

**976–1006** De unitate et uno, et de dictionibus partitivis et demonstrativis. Dantur hae regulae: (1) ‘unus’ adiective sumptum cum substantivo essentiali iunctum essentiam copulat; ergo haec est vera: ‘pater et filius et spiritus sanctus sunt unus deus’; (2) ‘unus’ adiective sumptum cum substantivo personali iunctum distinctionem notat; (ita ‘pater est unus’, et similiter ‘pater et filius sunt duo’); (3) ‘unus’ substantive sumptum essentiam non copulat, quamquam (4) ‘unum’ substantive sumptum essentiam copulat. Concedendae igitur sunt propositiones ‘pater et filius et spiritus sanctus sunt unus deus’, ‘p. & f. & s.s. sunt unum’, sed neganda est ‘p. & f. & s.s. sunt unus’, cum ‘unus’ substantivatum nomen partitivum sit et descensum fieri requirat, hoc modo: ‘pater et filius et spiritus sanctus sunt unus, ergo pater et filius et spiritus sanctus sunt iste’. Et si sic divinam essentiam pronomine quod est ‘iste’ demonstrare liceret, similiter dicere liceret ‘ille est pater et filius et spiritus sanctus’ necnon ‘ille est pater qui est filius et qui est spiritus sanctus’, quod esset contra consuetudinem sacrae scripturae. (994–999:) Hoc non obstante, si nomen ‘deus’ praecedit et relativum (vel pronomen ‘ille’ anaphorice sumptum vel nomen relativum ‘qui’) sequitur, relativo essentia referri potest; verbi gratia ‘est *deus* unus, et *ille* est tres personae’. (1000–1006:) Illud hymni “Sit salus illi <sc. essentiae>, decus atque virtus, qui <sc. essentia> supra caeli residens cacumen etc.” exceptione praedicta non excusat; quare improprie dictum esse constat et tantummodo tolerandum, non imitandum.

In hac disputatione Andreas quaestionem de uno cum quaestione “Utrum essentia possit demonstrari” contexit. Haec a Stephano Langton in Quaestionibus (284rA–285rA/p. 217sqq.), illa in Summa (149rB/p. 53sq.) tractatur. Ex Summa haec excerptsimus: “Item, cum unitas est divina essentia, haec dictio ‘unus’ copulat divinam essentiam adiective, ergo substantive ponit divinam essentiam, ergo haec erit vera ‘pater et filius et spiritus sanctus sunt unus’ substantive sumpto hoc nomine ‘unus’. § Non sequitur, quia haec dictio ‘unus’ partitivum est et non invenit in quo partiatur, nec invenitur inferior suppositio, ut si dicatur ‘pater et filius et spiritus sanctus sunt iste?’” De partitivis haec in Summa Praepositini leguntur (1.1.2, p. 199 Angelini): “... generalis est regula: Omne vocabulum quod dicitur de tribus ita quod de qualibet, illud dicitur secundum essentiam (...). Excipiuntur distinctiva seu partitiva, ut ‘unus’ ‘aliquis’ ‘distinctus’. Partitiva aliquando significant essentiam, aliquando non. Nam partitiva iuncta cum nominibus personalibus et non essentialibus in masculino et in feminino distinctionem

notant, ut ‘pater est unus, filius est alius’ ‘pater et filius sunt duo’. Iuncta vero cum nominibus essentialibus, ita quod eis innitantur sive ex eadem parte sive ex diversa parte, essentiam notant, ut ‘pater est unus deus’ ‘deus est unus’ ‘pater et filius sunt una essentia’ ‘essentia est una’. Etiam in neutro genere essentiam notant, ut ‘pater et filius sunt unum.’”

**1007–1022** De hac dictione ‘trinus’. (1007–08:) Cf. P. Lomb. I.d.19 c.12 (83), et praesertim Stephanum Langton in Summa, 149vB/p. 56sq.: “Item non valet hoc argumentum ‘essentia est trina, ergo est triplex’ quia haec dictio ‘triplex’ notat compositionem. (...) Item, quod persona sit trina sic probatur: ‘sit salus illi qui est trinus et unus’. – Solutio: ibi ponitur nomen personale <sc. qui> pro essentiali.” Cf. vv. 1001–1002 ubi idem exemplum (‘sit salus &c.’) habet noster. (1009–1022:) Hic Andreas docet dictione ‘trinus’ neque divinam essentiam neque personalem distinctionem significari sed intellectum tantum, connotari vero distinctionem. Fere eadem dicit Stephanus Langton in Summa, 149vA/p. 55: “Item quaeritur de quo dicatur haec dictio ‘trina’ et quid praedicet. § Constat quod dicatur de divina essentia iuxta illud ‘Monadi trinae gloriam canamus’; sic divina essentia est trina. § Si dicatur quod praedicet divinam essentiam, ergo cum persona sit essentia, erit haec vera ‘persona est trina’. Si praedicet distinctionem; sed non est nisi circa suppositum, ergo divina essentia est distincta. § Ad hoc dicimus quod haec dictio ‘trina’ nihil praedicat nisi tantum intellectum, sed notat quod divina essentia sit in tribus personis ita quod in qualibet illarum. Unde haec est falsa ‘trinitas est trina’, quia haec dictio ‘trina’ notat quod trinitas sit in tribus personis ita quod in qualibet illarum. Praeterea haec dictio ‘trina’ connotat distinctionem, sed illa distinctio non notatur in aliquo supposito in illa locutione, sed notatur esse in illis in quibus est divina essentia, sc. in personis.” Fere eadem idem Stephanus in Summa 156rB/p. 100 et in Quaestionibus 259rA/p. 212sq. dicit. – Intellectum solum significare dicitur vox quae ad verum exprimendum utilis est, quamquam certam rem (formam, proprietatem) non significat; distinguitur autem cum a voce proprie significativa, quae certam rem et intellectum eiusdem significat, turn a nomine figmentalium (‘chimaera’, e.g.), quo nec ulla res extramentalis nec vera intellectio de re extramentalis exprimitur. Cf. Summam Stephani Langton 149vA-B/p.56. Guillelmus Altissiodorensis in Summa Aurea I.ivvii (p. 58 Ribaillier): “dixerunt quidam quod hec dictio ‘trinus’ nullam rem significat sed solum intellectum”; idem I.vi.vi (p. 104): “Alii dicunt quod hoc nomen ‘tres’ nichil significat nisi intellectum et est dictio officialis vel distinctiva.” Dictio officialis fere idem est quod signum distributivum, i.e. ‘omnis’ et sim.

**1023–1106** Disputatio de persona. Conclusiones potiores sunt hae: (i, 1023–26) ‘Persona’ est nomen personale. (ii, 1027–44) Huic conclusioni concordat descriptio personae a Boethio tradita. (iii, 1045–55) Eidem conclusioni auctoritates Augustini si recte intellegantur non obstabunt. (iv,

1045–61) ‘Personā’ quondam nomen essentiale erat, sed translatum est ad divinas personas significandas. (*v*, 1062–70) Alia nomina essentialia – ‘deus’ ‘essentia’ – eiusmodi translationem non sunt passa. (*vi*, 1071–90) Nomen ‘personā’ ad nomina ‘pater’ ‘filius’ ‘spiritus sanctus’ non se habet ut nomen superioris ad sua inferiora quamquam suppositione communius est; nec nomine ‘personā’ proprietas significatur qua quaeque persona sit persona. (*vii*, 1091–1106) ‘Personā’ quodammodo aequivoce, quodammodo univoce de personis increatis et creatis dicitur; de Christo numquam aliter dicitur quam eo modo quo de increatis.

De persona disputant P. Lomb. I d.23–25; Stephanus Langton in Summa 159rB–160vA/pp. 124–30; idem in Quaest. 187vB–189rB et (partim eisdem verbis) 270rB–271vA; idem in Comm. Sent. pp. 25–29 Landgraf; Praepositinus in Summa 1.3, pp. 207–14 Angelini; Martinus in Summa 22rB–24rB.

**1023–44** Positio Andreeae et expositio definitionis personae. (1023–26:) Secundum quosdam, quorum opinioni Andreas consentire videtur, ‘personā’ nomen personale est, personam et supponens et significans, sed sine forma, non autem unam personam discrete supponens (quo ultimo a nominibus propriis differt, quae discrete supponere dicuntur). (1027–44:) Exponitur definitio sive descriptio personae a Boethio data, quae est ‘persona est rationalis naturae individua substantia’: (1) ‘substantia’ hoc loco pro divina essentia non est accipienda; (2) ‘individua’ tribus modis accipi potest, sc. (a) = “discreta et distincta et per se existens”, et sic “removet usiam”, i.e. vox ‘individua’ voci ‘substantia’ addita ne “substantia = divina essentia” dicamus prohibet, cum divina essentia sine distinctione in tribus personis sit; praeterea Christum non assumpsisse personam patet (cf. 6823–30), cum natura assumpta “existens per se” in eo non fuerit; (b) ‘individua’ = “incommunicabilis compositione” = “quae non potest venire in constitutionem alicuius rei”; voce ‘individua’ hoc sensu accepta, animam non esse personam patet; (c) ‘individua’ = “simplex, indivisibilis”; hoc sensu divina essentia est individua, sed in definitione personae non sumitur hoc sensu.

Ad 1023–26 conferas Stephanum Langton in Quaest. 188vB (partim = 271rA–B): “Ad hoc dixerunt quidam quod hoc nomen ‘personā’ in singulari est essentiale, in plurali personale. (...) Alii vero dicunt quod hoc nomen ‘personā’ significatione est essentiale, sed suppositione est personale. (...) Alii vero, quibus consentimus, dicunt quod hoc nomen ‘personā’ nec significatione nec suppositione est essentiale modo, sed tantum personale.” (1027–44) De definitione Boethiana Stephanus Langton in Quaestionibus 187vB–188vA (partim = 270rB–271rA) disputat. Unde haec excerptsimus: “Hoc nomen ‘substantia’ sumitur in trinitate dupliciter: valde proprie et quodam medio modo. Cum enim in creaturis dicatur substantia res quae accidentibus substat, ibi sumitur improprie hoc nomen ‘substantia’ ad sig-

nificandum idem quod hoc nomen ‘essentia’, et ita supponit divinam essentiam quae nullis accidentibus substans. Quodam medio modo, sc. partim proprius partim improprie, significat hoc nomen ‘substans’ in trinitate sicut hoc nomen ‘hypostasis’. (...) <*Instantia*, cf. 1028–1029>: Sed pater et filius et spiritus sanctus sunt tres personae, ergo sunt tres substancialia rationalis naturae individuae, ergo sunt tres substancialia, ergo tres essentiae – quod est impossibile. (...) § In praedicta descriptione restringitur hoc nomen ‘substans’ per hoc adiunctum ‘rationalis naturae’ tantum ad rationalia primi praedicamenti et ad personas increatas. Sed quia non omne rationale est persona, additur ‘individua’, ut per hoc excludantur illa rationalia, sc. animae, quae non sunt personae. Dicitur enim illa sola substans individua quae est incommunicabilis compositione, i.e. quae non potest venire in compositionem alicuius rei. Et ita, cum anima veniat in compositionem hominis, non est persona, quia non est substans individua, i.e. incommunicabilis compositione. (...) Item quia quaedam rationalia, sc. animae, non sunt personae, additur hoc nomen ‘individua’ quod privat communicabilitatem compositionis, et praeterea notat rem vel personam de qua dicitur singulari proprietate ab aliis rebus et personis discretam et distinctam, quod bene convenit omnibus personis, sc. creatis et increatis. (...) Sed quaeritur utrum hoc nomen ‘individua’ dicatur de divina essentia, utrum sc. haec sit vera ‘divina essentia est individua’. § Ad hoc dicimus quod hoc nomen ‘individua’ potest sumi dupliciter, ut dicatur ‘individua i.e. incommunicabilis compositione ita quod nihil aliud per illud nomen notetur’, et secundum hoc divina essentia est individua, i.e. incommunicabilis compositione. Vel potest sumi ‘individua i.e. incommunicabilis compositione et singulari proprietate ab aliis rebus et personis distincta et discreta’, et secundum hoc divina essentia non est individua, quia nulla proprietate distinguitur, et utroque istorum modorum convenienter ponitur hoc nomen ‘individua’ in praedicta descriptione. § Item quaeritur utrum praedicta descriptio conveniat divinae essentiae. (...) § Et nonne dicitur in quadam praefatione “individuae unitatis confessio”? et ita unitas sive divina essentia est individua. § Ad hoc dicimus quod in illa praefatione sumitur hoc nomen ‘individua’ pro hoc nomine ‘simplex’, et ita non est obiectio.”

Vv. 1030–34 sic intellegimus: quia illud ‘substans’ quod in definitione personae occurrit, improprie (= metaphorice) ponitur ut etiam divinas personas supponat, “seorsum”, i.e. sine adiectivo ‘individua’ adiecto, positum hoc nomen ‘substans’ tantum proprie (non-metaphorice) accipi potest, ut sc. divinas personas iam non supponat sed eis tantum quae proprie significet applicari possit.

**1045–1061** Superior dictum est hoc nomen ‘persona’ esse personale, sed (1048–51:) ex quibusdam dictis Augustini hoc nomen essentiale esse concludi videtur. Quomodo resolvenda est contradicatio? (1045–47 & 1051:)

Prima solutio: nomen ‘persona’ primo personas theatrales significaverat, deinde ad essentiam significandam, tandem ad personas trinitatis significandas translatum est. Augustinus significationem medium (= ‘essentia’) respiciens ‘persona’ secundum substantiam dici scripsit. (1052–1055.) Altera solutio: ‘persona’ essentiam consignificat quamquam earn non significat. Augustinus ad solam consignificationem respexit. (1056–61.) Translatio nominis non sine ratione facta esse sic demonstratur: Persona theatalis est discreta et discernens (ut Stephanus Langton docet, vide infra). In definitio-ne Boethiana ‘individua’ ei quod est ‘discreta’ aequipolle, ‘rationalis’ vero ei quod est ‘discernens’ aequipolle.

Cum 1045–47 & 1056–61 conferas quae dicit Stephanus Langton in Quaestionibus, 187vB (= 270vA, varias lectiones annotare supersedimus): “Quattuor sunt nomina apud graecos, sc. ‘usia’ ‘usiosis’ ‘hypostasis’ ‘prosopum’, quibus aequipollenter per ordinem respondent alia quattuor apud latinos, sc. ‘essentia’ ‘subsistentia’ ‘substantia’ ‘persona’. (...) Ista nomina ‘prosopum’ ‘persona’ sunt paria, et sunt sumpta a personis theatalibus, sed diversis de causis. Personae enim theatrales larvatae sunt et sonorae, quia larvas habent in facie et vocem per larvae concavitatem emittunt. Hoc nomen ‘prosopum’ sumitur ab eo quod persona est larvata (...) Hoc nomen vero ‘persona’ sumitur ab eo quod persona theatalis est sonora, et ita dicitur a personando. Vel ‘persona’ quasi ‘per se una’. (...) Ab hac significatione personarum theatalium sunt translatae praedicta duo nomina ad personas naturales creatas, sc. ad homines, quadam similitudine. Personae enim larvatae sive theatrales discretae sunt et discernentes: discretae sive distinctae per larvas, discernentes per diversas vocum modulationes et per alia. Similiter homines discreti sunt et discernentes: discreti suis singularibus proprietatis, discernentes quia sunt rationales. Ab his creaturarum significationibus transferuntur praedicta nomina ad trinitatem. (...) Item ista nomina ‘prosopum’ ‘persona’ transferuntur a personis creatis ad increatas quadam similitudine. Sicut enim personae creatae discretae sunt et discernentes, sic et increatae: discernuntur enim et distinguuntur suis notionibus et discernunt quia sunt rationales.” (1048–51.) Dicta Augustini Stephanus Langton ita citat (Quaestiones, 188vA, partim = 271rA): “Sed cum Augustinus dicat quod personam esse est essentiam esse et econverso (dicit enim quod idem est deo esse personam quod esse essentiam, sicut habes in primo Sententiarum), quaeritur quid praedicet vel significet hoc nomen ‘persona’ cum dicitur ‘pater est persona’. Videtur per praedicta verba Augustini quod sit nomen essentiale. Item dicit Augustinus quod quicquid dicitur de tribus personis secundum essentiam dicitur singillatim de qualibet illarum et in summa, sc. singulariter de illis insimul, excepto hoc nomine ‘persona’. Nulla es-set exceptio ista nisi hoc nomen ‘persona’ secundum essentiam diceretur de personis, et ita est essentiale.” Idem in Summa, 160rB/p. 129: “Item Augu-

stinus dicit in principio Sententiarum: Non est aliud essentiam esse et aliud personam esse sed omnino idem. (...) Item alibi: Sicut idem est deo esse deum et esse magnum, ita idem est deo esse deum et esse personam.” (1051:) Haec solutio ea videtur esse quam Stephanus Langton his verbis promit (Quaest. 188vB = 271rB, varias lectiones non annotavimus): “Alii vero, quibus consentimus, dicunt quod hoc nomen ‘persona’ nec significatione nec suppositione est essentiale modo, sed tantum personale; sed antiquitus in quadam significatione modo inusitata erat essentiale significatione et suppositione, sed postea urgentibus haereticis institutum fuit in alia significatione in qua fuit et est personale. Unde quidam hanc sustinentes opinionem dicunt quod Augustinus secundum priorem significationem huius nominis ‘persona’ dixit quod esse personam est esse essentiam, et secundum posteriorem significationem dixit quod pater et filius et spiritus sanctus sunt tres personae.” (1052–55:) Pergit Stephanus (188vB–189r, partim = 271rB): “Sed auctoritates Augustini quae sunt in primo Sententiarum manifeste volunt quod etiam secundum posteriorem significationem huius nominis ‘persona’ personam esse sit essentiam esse. Et ideo paulo aliter procedimus dicentes quod hoc nomen ‘persona’ secundum quod illo in trinitate utimur non datur ab aliqua proprietate essentiali vel notionali, sed supponit personam sicut hoc nomen ‘aliquis’ et significat intellectum et significat personam (...) Ad sequens dicimus quod cum Augustinus dicit quod quicquid dicitur de tribus personis secundum essentiam etc., large sumitur ‘dici secundum essentiam’, ut sc. illud nomen dicatur dici secundum essentiam quod connotat essentiam. Et ideo excipitur bene hoc nomen ‘persona’. (...) Et Augustinus more suo habens respectum ad innuitionem huius nominis ‘persona’ dicit quod personam esse est substantiam esse sive essentiam esse. Est enim mos Augustini quod quando aliqua vox significat unum et connotat aliud, modo utitur illa voce pro principali significatione, modo pro connotato.” Idem in Summa 160vA/p. 131: “Item, ad illa quae obiciuntur de Augustino dicimus quod Augustinus locutus est quandoque habitu respectu ad significationem, quandoque ad consignificationem. (...) Sic ergo Augustinus, ubi dicit personam esse substantiam vel essentiam, loquitur quoad consignificationem.” Conferendus est etiam Praepositinus qui in Summa 1.3.4. p. 210 Angelini dicit: “Sunt alii qui dicunt quod hoc nomen ‘persona’ principaliter significat essentiam, et consignificat distinctionem; quia cum dico ‘pater est persona’ tantum valet quantum ‘pater est unum et per se, i.e. distinctus’, ut hoc vocabulum ‘unum’ significet essentiam, et hoc pronomen ‘se’ masculini generis consignificet distinctionem.”

**1062–1070** Superius dictum est nomen personae quod quandam essentiam significasset ad personas significandas translatum esse. Eadem ratione nomina essentialia quae sunt ‘deus’ et ‘essentia’ transferri posse videntur. Quare id non factum sit quaeritur. Cf. P. Lomb. I d.23 cc.3–4 (97–98).

Versus 1068–70 non intellego, nisi forte is est sensus: ipsum nomen ‘essentia’ ad personas significandas non est translatum, sed eius significatio voce ‘persona’, quae translationem passa est, exprimitur.

Cf. Stephanum Langton in Quaestionibus, 189rA: “Sed obicitur: tu dicis quod ideo dicit Augustinus hoc nomen ‘persona’ significare essentiam sive idem esse deo esse personam et esse essentiam, quia hoc nomen ‘persona’ eo modo significat essentiam quo modo hoc nomen ‘albus’ suppositum sive substantiam, sc. quia innuit et connotat substantiam. Ergo eadem ratione debuit dicere Augustinus, et tu cum eo, quod hoc nomen ‘pater’ significat substantiam sive essentiam, vel ad minus hoc nomen ‘genitus’ ita quod sit nomen et adjective teneatur. § Dicimus quod non est ita, quia licet hoc nomen ‘persona’ dicatur significare essentiam eo modo quo hoc nomen ‘albus’ suppositum sive substantiam, non tamen penitus eodem modo, sed quodam modo [medio *p.c.*] eodem modo, quia longe expressius hoc nomen ‘persona’ sc. quia connotat essentiam, et in hoc convenit cum nomine ‘albus’, et quia audito hoc nomine ‘persona’ statim intelligitur quod persona sit essentia, et quia significat, ut dictum est, essentialiter, quod non facit hoc nomen ‘genitus’ vel hoc nomen ‘pater’.”

**1071–1090** Sensus hic est: Propositiones ‘pater est persona’, ‘filius est persona’, ‘spiritus sanctus est persona’, ‘tres personae sunt tres (sc. pater, filius et spiritus sanctus)’ omnes verae sunt, et sic patet hoc nomen ‘persona’ nominibus ‘pater’ ‘filius’ ‘spiritus sanctus’ communius supponere. Non est tamen directe superius ad illa, ut est nomen speciei ad nomina suorum individuorum, eo quod ‘pater’ etc. nomina relativa sunt, ‘persona’ minime. Cum ergo ‘persona’ nullam relationem sive proprietatem significet vel consignificet, nulla persona proprietate est persona. E.g., prima persona trinitatis (pater) non est prima persona trinitatis ea proprietate quae est paternitas. Sed nec deitate (= divina essentia) pater esse pater dicendus est, cum essentia tribus personis communis sit et sic quaelibet persona esset pater. Ideo ut ‘persona’ deitatem non copulet necesse est, et est dicendum personam nullo esse personam – sicut et Petrus quamvis humanitate sit homo, nulla tamen forma sive proprietate est Petrus. Distinguendum tamen est inter ‘pater paternitate est pater (substantive)’ et ‘pater paternitate est pater (adjective)’: nam prima falsa, secunda vera est.

Cf. Stephanum Langton in Summa 160rB–vA/pp. 129–131: <*Instinctio:*> Item pater est persona, ergo aliquo est persona, ergo essentia vel notio. Si essentia, ergo hoc nomen ‘persona’ significat essentiam. Si notio, ergo hoc nomen ‘persona’ dicitur in respectu. (...) <*Solutio:*> Item dicimus quod hoc nomen ‘pater’ continetur sub hoc termino ‘persona’ quoad suppositionem, et non quoad consignificationem, quia hoc nomen ‘persona’ non significat nisi intellectum. Unde dicimus quod pater nullo est persona. Item hanc dicimus esse duplcem ‘pater in eo quod est pater convenit cum filio’

quia is [est] potest esse sensus: ‘pater in hoc, sc. esse personam, convenit etc.’, et sic vera est; vel is potest esse sensus: ‘pater ab aliquo est persona et eo convenit cum filio’, et sic falsa est. Item eodem modo haec est duplex ‘pater in eo quod est pater differt a filio’, quia iste terminus ‘pater’ potest teneri substantive vel adjective. Si adjective, vera est, quia pater paternitate est pater et ea differt a filio. Si substantive (...)’ Cf. praeterea P. Lomb. I d. 19 c.7 (78).

**1091-1106** Quaeritur utrum hoc nomen ‘persona’ aequivoce an univoce de personis increatis et creatis dicatur, et si aequivoce, utro sensu de Christo dicatur. Aequivoce dici patet eo quod de creaturis dictum unitatem accidentalem consignificat quae in divinis personis non invenitur. Cum ergo in altero sensu (a) de creatore et in altero (b) de creaturis dicatur, cumque Christus sit persona increata et creata, sequi videtur hoc nomen ‘persona’ sensu (b) de Christo dici posse. Quod concedi non potest, quia sequeretur Christum per incarnationem personam factum esse sensu (b) quo antea non fuisset. Relinquitur igitur ‘persona’ sensu (a) solo de Christo dici. At si ‘persona’ de personis increatis et creatis aequivoce dicitur, descriptio personae a Boethio data alteris tantum conveniet – id quod falsum est. Ideo praeter sensus (a) & (b) quaedam communis significatio nominis ponenda est qua univoce de increatis et creatis dicatur.

Cf. Stephanum Langton in Summa 160rA/p. 127: “Item ex superius dictis patet, licet hoc nomen ‘res’ univoce dicatur de creatore et creaturis, tamen aequivoce dicitur de illis, quia secundum quod significat accidens unum, iste terminus ‘res’ non dicitur de creatore. Eadem ratione, licet hoc nomen ‘persona’ in quadam communi significatione dicatur de persona creata et persona increata, tamen in quadam speciali significatione convenit personis creatis secundum quam non convenit personis increatis. § Ex hoc sic: hoc nomen ‘persona’ in quadam significatione appellat omnem personam creatam, ergo et Christum, ergo et hoc nomen ‘persona’ in illa significatione dicitur de Christo et in alia significatione convenit ei idem nomen, sed utraque illarum significationum convenit Christo secundum humanitatem aut secundum divinitatem, sed non secundum divinitatem convenit ei utraque, ergo secundum humanitatem convenit ei altera, ergo Christus secundum humanitatem est persona; sed Christus ratione humanitatis incepit esse homo et factus est homo, ergo factus est persona, et ita persona assumpsit personam. § Item hoc nomen ‘persona’ secundum quod dicitur de personis creatis consignificat hoc accidens “unum”, sed tale accidens non ab aeterno infuit Christo. Ergo intellectus huius termini ‘persona’ secundum quod dicitur de personis creatis non ab aeterno convenit ei, ergo incepit ei convenire, et ita Christus incepit esse persona. § Solutio: bene concedimus quod hoc nomen ‘persona’ univoce et aequivoce dicatur de personis creatis et increatis. Sed sunt significationes praedicto modo separandae et supposi-

tis attribuendae, quia in una illarum significationum appellat hoc nomen ‘persona’ omnem personam increatam et unam creatam, sc. Christum; in alia significatione appellat personas creatas, sed non omnes, quia non Christum. Et ita non valet praedicta argumentatio, sc. haec “hoc nomen ‘persona’ aequivoce dicitur de personis creatis et increatis, ergo in una sui significatione appellat omnem personam creatam” – non sequitur, nec est mirum si ita hic contingit, quia Christus est persona creata et increata, et tamen non est persona in eo quod est homo, quia esse hominem non est esse personam. Christus autem non est nisi una persona.” Idem in Quaestionibus 188vA (= 271rA, varias lectiones afferre supersedimus): “Item quaeritur utrum praedicta descriptio conveniat tam creatis quam increatis personis. § Quod autem conveniat creatis patet per eius partes. Item, quod conveniat increatis patet per intentionem Boethii de personis contra haereticos disputantis. Et ita convenit tam creatis quam increatis. § Quod concedimus in quadam communi significatione huius nominis ‘substantia’: est enim ibi commune ad omnes hypostases primi praedicamenti et ad hypostases increatas. Similiter et aliae partes descriptionis sunt communes ad personas creatas et increatas. Similiter hoc nomen ‘persona’; licet enim in quadam speciali significatione dicatur hoc nomen ‘persona’ de personis increatis et in alia speciali tantum de creatis, nihilominus tamen in quadam communi significatione dicitur tam de personis creatis quam de increatis. § Sed nota quod licet in quadam significatione dicatur hoc nomen ‘persona’ tantum de personis creatis, non tamen in illa significatione convenit omni personae creatae. Christus enim est persona creata, non tamen convenit ei hoc nomen ‘persona’ secundum quod dicitur tantum de personis creatis, quia Christus non est persona secundum quod homo. Unde in nulla significatione convenit ei hoc nomen ‘persona’ in qua non conveniret ei cum verbo praesentis temporis ante incarnationem. Unde haec descriptio ‘substantia rationalis naturae individua’ prout parificatur huic nomini ‘persona’ secundum quod dicitur tantum de personis creatis non convenit Christo, quia Christus non est substantia secundum quod homo secundum quod hoc nomen ‘substantia’ ibi ponitur: supponit enim hypostasim sive quem et non quid; sed Christus secundum quod homo non est quis sed quid.”

**1107–1136** De verbo substantivo (‘est’). Sententia haec est: Omnis sermo de deo metaphoricus est, ita ut ne ‘deus est’ quidem proprie dicatur. Omnium tamen vocabulorum quae de deo dicuntur hoc verbum ‘est’ minus improprium est cum essentiam solam significet nec ullam formam praedit nec tempus consignificet. Si huic obiciatur vocem non esse verbum (sensu grammatico) nisi tempus consignificet, iuxta illud Aristotelis “Verbum autem est quod consignificat tempus” (Peri Hermeneias c.3), respondendum ‘est’ sine temporis consignificatione ea facere quae verbi sint, cum ad dictum nomini nominativi casus perfectam orationem reddat. Notandum

vero solas formas a grammaticis “praesentis temporis” vocatas temporis consignificatione carere. – Praeterea his versibus de divina simplicitate disputatur, notaturque quaedam aequivocatio eius quod est ‘simplex’, quod uno modo de deo, altero de anima dicitur.

Cum vv. 1107sqq. conferas verba Alani ab Insulis in Regulis Caelestis Iuris § xxxix, p. 151 ed. Häring: “Nullum uerbum minus inpropre dicitur de deo quam hoc uerbum ‘est’. Hoc enim uerbum notat substantiam et apud philosophos uerbum temporali motu carentis dicitur. Non enim sicut alia uerba, que actiones successiuas significant, in motu habet significacionem, sed potius significant essentiam.” Idem in Summa “Quoniam homines”, § 9b, p. 141 ed. Glorieux: “Deus enim proprie est quia immutabiliter est. Quia ergo Deus proprie est et minus inpropre hec dictio ‘est’ de Deo quam alia dicitur, ei specialiter ascribitur. Quod autem hec dictio ‘est’ minus inpropre dicitur de deo quam alia, hac ratione inspiciendum. Cum hec dictio ‘est’ specialiter ad rei existentiam pertinet, sola vero existentia divina immutabiliter sit, ei minus inpropre hec dictio quam alia convenit.” Martinus in Summa, 9vB, verba Alani ex Regulis repetit.

Vv. 1119–22 ita legas: Deo non est aliud esse perennem sive creatorem quam esse iustum sive benignum; non quod dicta (sc. ‘esse perennem’ ‘esse creatorem’ ‘esse iustum’ ‘esse benignum’) eadem sint, sed quod omnia nomina (sc. ‘perennem’ ‘creatorem’ ‘iustum’ ‘benignum’) quae in illis dictis occurrant divinam essentiam significant, Augustinus hoc (sc. Deo non esse aliud esse perennem etc.) scripsit.

**1137–1190** De verbis ‘dicere’, ‘audire’ et similibus in sacra scriptura positis. (1137–1168:) ‘Dicere’ eiusque similia interdum pro ‘generare’ ponuntur et sunt verba notionalia, cum generatio sit notio sive proprietas Patris. Hoc fit quando ‘dicere’ cum accusativo construitur nullo dativo addito. Cum accusativo et dativo constructum hoc verbum ‘dicere’ notionem notat quidem (= connotat, consignificat), significat autem et copulat divinam essentiam. Haec regula tribus exemplis applicatur: (1) “eructavit cor meum verbum bonum”: ‘eructavit’ = ‘genuit’ significat notionem tantum. (2) “dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis”: ‘dixit’ = ‘generando contulit’; significatur divina essentia, sed connotatur notio. (3) “Dixit Deus: fiat lux”; hic subauditur dativus, ita ut (3) = (3') “Deus dixit Filio: fiat lux” = (3'') “Pater, qui est creator, Filio dedit ut per eum fieret lux”; hic ‘dixit’ divinam essentiam significat, notionem Patris connotat. (1169–74:) ‘Audire’ de Filio dictum non est verbum pure essentialie ut sunt ‘scire’ vel ‘esse’, sed connotat notionem Filii, ut in illo Euangelii “Quae audio loquor”, i.e. “Quae a Patre percipit loquitur Christus”. ‘Loqui’ pro ‘manifestare’ ponitur in hoc “Mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis”, quod exponitur: ‘Christus se ipsum loquitur’ = ‘Christus se manifestat’. (1175–79:) ‘Spiritus Sanctus loquitur’ = ‘S.S. homines facit loqui’. (1180–81:) Quod dicitur “ait:

faciamus hominem” ita exponendum ut tres personae trinitatis se allocuti esse intellegantur. (1182–90.) Legitur vox Patris hominibus audibilis fuisse, sed Deus eodem modo quo homines loqui non est putandus. E.g. Deus Moysen non ore sed “per plasma”, i.e. rubo usus, allocutus est.

Haec omnia breviter ab Andrea perstricta melius intelleguntur collata quaestione Stephani Langton “De hoc verbo ‘Dixit Deus: fiat lux’”, 283rA–vA (partim = 273rB–vA), quam paucis omissis hoc loco describimus: “Dixit deus: fiat lux. Glosa ibi: i.e. genuit verbum in quo erat ut fieret lux. Sic ergo hoc verbum ‘dixit’ copulat notionem connotatam per hoc verbum ‘genuit’. § Contra: res huius verbi ‘dixit’ convenit patri respectu creaturae, quod datur intelligi per hanc vocem ‘fiat lux’ quia actus huius verbi transit in illam vocem, et nulla notio inest patri respectu creaturae, ergo hoc verbum ‘dixit’ non copulat notionem. Si dicatur quod copulet essentiam et connotet notionem, utrum principalius debet [debet: det *p.c.*] intelligere? Si dicat quod essentiam, contra: Augustinus exponendo hoc verbum ‘dixit fiat lux’ in expositione ponit id quod spectat principalius ad notionem et primo loco, sc. hos verbum ‘genuit’, postea illud in expositione resultat quod significat essentiam. Et ita videtur per hoc verbum ‘dixit’ quod principalius significet notionem. § Si concedatur, contra: pater dixit filio et spiritui sancto ‘fiat lux’. Quod sic ostenditur: quia pater dixit filio et spiritui sancto ‘faciamis hominem ad imaginem et similitudinem nostram’. Glosa enim dicit quod sic datur intelligi trinitas, ergo una persona loquitur sic duabus, nulla potius persona quam pater, et sic pater loquitur duabus personis. Eadem ratione videtur hic. Sed nulla notio inest patri respectu filii et spiritus sancti, ergo hoc verbum ‘dixit’ nullam principaliter ibi copulat notionem. (...) § Item Augustinus dixit quod non temporaliter dixit ‘fiat lux’ sed aeternali- ter, ergo ab aeterno dixit deus ‘fiat lux’. Sed dixit et facta sunt, ergo ab aeter- no facta est lux. Glosa enim dicit quod per hoc quod dixit ‘fiat’ et postea ‘facta est lux’ celeritas operationis notatur, et ita notatur nil fuisse inter opera- tionem et dictionem. § Responsio. Considerandum est utrum hoc verbum ‘dixit’ vel ‘loquitur’ construatur cum accusativo tantum, an cum accusativo et dativo. Si cum accusativo tantum, considerandum est utrum ille accusati- tivus supponat personam vel aliud. Si aliud, significat tantum divinam es- sentiam. Unde in Iohanne dicitur de spiritu sancto: non enim a se ipso lo- quetur sed quaecumque audiet a patre loquetur. Ecce hoc verbum ‘loqui- tur’ significat essentiam ibi non connotando aliquam notionem. Si vero ac- cusativus supponat personam, tunc quandoque hoc verbum ‘dixit’ vel ‘lo- quitur’ significat notionem tantum, ut ‘deus dixit verbum’, quandoque vero essentiam tantum significat, ut ‘filius loquitur se’, ‘filius loquitur patrem’, i.e. manifestat, et hoc verbum ‘loquitur’ ibi significat essentiam et nullam con- notat notionem.” Pro “Si vero” etc. fol. 273vA legitur: “Si autem supponat, significat notionem. Unde in evangelio Iohannis ‘Mundi estis propter ser-

monem quem locutus sum vobis', et glosa dicit: se ipsum loquitur". Cf. v. 1174. Fol. 283rA ita pergit: "Si autem construatur cum dativo et accusativo, ut 'pater dixit <filio> fiat lux', tunc principaliter significat essentiam et connotat notionem et etiam effectum in creatura, sicut haec dictio 'missus' significat essentiam et notionem et effectum in creaturis. Posset tamen dici quod in praedicta locutione significat hoc verbum 'dixit' essentiam tantum. Sed secundum hoc non subaudiretur dativus, sed Augustinus vult ut subintelligatur. § Item ideo principaliter ponit Augustinus in expositione id quod spectat ad personam, sc. verbum notionale, quia secundum quod proprie accipitur, non secundum transumptionem in eo factam, significat notio nem, ut hic 'pater genuit verbum.' Alludit ergo institutioni vocabuli, non quod ibi significet notionem, in expositione. § Item cum dicitur 'pater dixit filio et spiritui sancto', ibi principaliter ponit essentiam et connotat duas notio nes, generationem et spirationem. Similiter et hic 'faciamus'. § Item quod dicit Augustinus 'aeternaliter, non temporaliter, dixit deus fiat lux', hoc ideo dixit quia dictio illa essentialis [[generatio]] est aeterna; nihilominus conces sisset lucem fieri incepisse ex tempore. Et haec vera 'si deus dicit "fiat lux", lux est'; aeternaliter dicit "fiat lux"; ergo aeternaliter lux est, – haec argumentatio non valet, sed haec est necessaria 'haec consequentia necessaria est "primum fuit verum ab aeterno, ergo ultimum"', sed media est falsa. Tamen sic videtur posse ostendi: habito respectu ad ante tempus haec est vera 'deus genuit verbum', ergo in quo erat ut fieret lux, ergo haec 'deus dixit "fiat lux"'. Haec argumentatio non valet, quia hoc verbum 'dixit' connotat effectum in creatura, sicut dictum est. (...) § Item in Iohanne: quae audio loquor. Glosa: per unitatem essentiae. Solutio patet per praemissa. § Item Augustinus: 'dixit deus: fiat lux', per hoc nomen 'deus' intelligitur pater, per hoc 'dixit' filius, per 'vidit' spiritus sanctus, cum dicitur 'vidit deus quod esset bonum etc.' et ita 'vidit' consignificat ibi processionem. Sed 'vidit' ibi ponitur pro 'approbavit', ergo haec falsa 'tota trinitas approbavit', cum hoc verbum 'approbavit' significet notionem secundario, et nulla notio sit respectu totius trinitatis. (...) § Responsio: hoc verbum 'vidit' significat essentiam, non significat notionem. Dicimus tamen quod sic datur intelligi spiritus sanctus, quia 'vidit' ponitur pro 'approbavit', et approbatio est ex benignitate, benignitas vero attribuitur spiritui sancto. § Item: 'hic est filius meus dilectus' ita dictum est in transfiguratione et in baptismo. Illa vox fuit opus totius trinitatis, ergo vox trinitatis, quare ergo dicitur vox patris? § Item 'pater loquitur hoc'. Hoc verbum 'loquitur' copulat divinam essentiam et non connotat notionem quia supponitur creatura et nulla notio inest patri respectu creaturae. Cum ergo copulet divinam essentiam tantum, ergo convenit toti trinitati, ergo tota trinitas loquitur hic. § Eadem obiectio est de columba in qua spiritus sanctus apparuit, quia non alio modo fuit in columba quam pater vel filius, quare ergo dicitur potius apparuisse in ea quam pater vel filius?

§ Praeterea nulla alia de causa apparuit in columba nisi ad denotandam praesentiam spiritus sancti gratiae, sed illa gratia est totius trinitatis, ergo tota trinitas apparuit in columba. § Responsio. Dicimus quod nullo alio modo fuit spiritus sanctus in illa columba quam in aliis creaturis, sed ad aliud, ad significandum sc. praesentiam spiritus sancti gratiae, ergo tota trinitas est ad significandum. Ad hoc enim creata est ut significaret praesentiam spiritus sancti. Et notandum quod spiritus sanctus apparuit in columba, filius in humana natura, pater in nube. § Item cum dicitur ‘pater loquitur’, hoc verbum ‘loquitur’ significat notionem. Unde is est sensus: pater loquitur filium suum esse dilectum, ut intelligatur divisim et de re. Et haec argumentatio non valet ‘est opus totius trinitatis, ergo est vox totius trinitatis’.”

**1191–1212** De nominibus adiectivis et substantivis quae divinam essentiam praedicant (copulant).

**1191–1201** Utrum hoc an illud nomen ponatur referre demonstratur. Sint A et B talia nomina neque significatione neque consignificato in creaturis effectu distincta, sitque A adiectivum (ut ‘iustus’), B vero substantivum (ut ‘iustitia’). Estne dictum ‘deum esse A’ idem atque dictum quod est ‘deum esse B’? Respondeatur diversum modum copulandi facere diversitatem dictorum, cum adiectivum divinam essentiam ut inherenter, substantivum vero ut subsistentem copulet. Sed hanc solutionem non sufficere per instantiam probari posse videtur. Sint enim et A et B adiectiva (ut ‘fortis’ et ‘perennis’). Iuxta solutionem supra datam, A et B eundem habebunt modum copulandi divinam essentiam. Videtur ergo concedendum esse, hoc dictum ‘deum esse A’ idem esse atque illud quod est ‘deum esse B’ – quod est inconveniens. Ut instantiae respondeat, Andreas praeter supradic tam alias esse diversitates modi copulandi quibus dicta diversificari possint, docet.

Fere eadem dicit Stephanus Langton, Summa 147rA/p. 37: “Cum diversa dictionum genera dicantur de deo, primo dicendum est de illis quae praedicant divinam essentiam. Talium enim quaedam sunt adiectiva, quae dam substantiva. Adiectiva ut ‘iustus’ et huiusmodi; substantiva ut ‘iustitia’ et simila. § Cum ergo non est diversitas in significatione vel in consignificatione istarum dictionum ‘iustitia’ ‘iustus’ – utraque enim praedicat divinam essentiam et connotat effectum in creatura – videtur quod deum esse iustum sit deum esse iustitiam. § Quod non concedimus; dicimus enim quod modus significandi variat dictum: hoc enim nomen ‘iustitia’ praedicat divinam essentiam ut supponentem, haec dictio ‘iustus’ praedicat divinam essentiam ut inherenter. § Contra: cum dicitur ‘deus est aeternus’ ‘deus est immensus’, hinc inde praedicatur divina essentia ut inherens, ergo deum esse aeternum est deum esse immensum; quod falsum est. § Solutio: diversus modus praedicandi est in praedictis, quia cum dicitur ‘deus est aeternus’ sic

praedicatur divina essentia ut duratio. Cum vero dicitur ‘deus est immensus’, sic praedicatur divina essentia quasi quantitas.”

**1202–1212** Quae nomina coniunctum deo dici possint. Dictione copulativa (“coniungens copula”) ‘et’ divērsa iunguntur, non idem sibi. Cum ‘et’ inter substantiva ponitur, supposita eorum coniungit; cum inter adiectiva, effectus consignificatos coniungit. His positis, sequitur (a) duo substantiva (ut ‘iustitia’ et ‘clementia’) coniunctum praedicari non posse, cum utrumque idem, divinam sc. essentiam, supponat; (b) duo adiectiva diversos effectus consignificantia (ut ‘iustus’ et ‘clemens’) coniunctum praedicari posse; (c) non autem duo adiectiva nihil consignificantia (ut ‘aeternus’ et ‘maximus’), (d) nec adiectivum consignificans (ut ‘iustus’) et non-consignificans (ut ‘summus’). Fere eadem dicit Stephanus Langton, Summa 147vB-vA/p. 39sq. Item Guillelmus Altissiodorensis, Summa Aurea I.v.i.

**1213–27** De similitudine creaturae ad deum. Sensus hic est: Nulla relatio in deo esse potest ne periclitetur divina simplicitas. Ideo, si qua relatio inter deum et creaturam intercedit, in sola creatura fundetur necesse est (ita ut talis relatio symmetra esse nequeat). Sacrae scripturae auctoritate cum constet hominem deo similem esse, (1) ‘Petrus est similis deo’ concedenda est, numquam vero (2) ‘deus et Petrus similes sunt’ vel (3) ‘deus est similis Petro’. Cum enim in deo nulla relatio fundari possit quin sit ipsa divina essentia, relatio vero in homine fundata homini proprietatem (formam) creatam inesse praeponat, (2) duobus modis intelligi potest, sc. (2) ‘deus et Petrus sunt divina essentia’, (2”) ‘in deo et in Petro quaedam forma est qua similes sunt’ – sed utroque modo intellecta propositio (2) falsa est. Eadem ratione (3) neganda est, necnon (4) ‘deus est iustus et talis est Petrus’ = (4) ‘deus est iustitia quae est divina essentia, et Petrus est iustitia quae est divina essentia’. Plerique tamen (4) concedunt, sic exponentes: (4) = (4”) ‘deus est iustitia (nam iustitia increata, quae est divina essentia, hoc adiectivo ‘iustus’ copulatur) creaturam iustum faciens (nam hic effectus in creatura qui est iustitia creata adiectivo ‘iustus’ consignatur), et talis (sc. creatura iusta) est Petrus’.

Cf. Summam Stephani Langton 156vB/p. 105 & 161rA/p. 134; Praepositini 1.8.2–3, pp. 248–251 Angelini; Guillelmi Altissiodorensis I.v.iii, pp. 72–73 Ribaillier.

### LIBER III

**1228–1251** Summa dictorum haec est: (1228–30:) Proprietates quasdam sive notiones personarum distinctivas poni necesse est. (1233–36:) Notiones sunt in personis, sed non sunt aliud a divina essentia. (1237:) Notiones sunt sua quaque persona. (1237–39:) Quod notio in persona est non tollit simplicitatem personae. (1240–51:) Una notio non est alia. Notione supposita non supponitur persona.

1228–30 Argumentum hoc est: Si personae nullis proprietatibus distinguerentur, ex essentiali identitate Patris et Filii, Patrem esse Filium sequeretur.

1231–32 “cuius” = Patris, ut videtur. Ergo his versibus essentiam Patris esse aeternam et increatam discimus. Andreas praemissam cuiusdam ratiocinationis, quam plenam non ponit, inducere videtur. Effici vult, opinor, proprietatem (paternitatem) esse aeternam et increatam quia cuius essentia sit aeterna, eius proprietas aeterna sit, ut hac conclusione usus unum horum probet: (a) ‘paternitas est divina essentia’, quia omne aeternum sit divina essentia; (b) ‘quoniam paternitas est divina essentia, non est cur eam *in* essentia esse dicamus’ (cf. “tantum” v. 1233) – quia divina essentia non egeat praeter se ipsam quo a quoquam distinguatur; (c) ‘proprietas non est duliā adoranda’ (cf. 1235) – quia dulia solis creaturis debeatur.

In v. 1234 comma falso loco posuimus. Rectius erat “non in personis, nisi proprietas Deus esset, posset adorari”.

De dulia et latria (1235–36) cf. Stephani Langton Quaest. 185vA: “Latria est cultus deo sive creatori exhibitus, dulia vero est cultus creaturae exhibitus sive exhibendus.”

V. 1245 hoc modo legas: Quoniam ex quinque proprietatibus tres (sc. paternitas, innascibilitas, spiratio) sit unus Pater, non tamen una proprietas est alia.

Reliqua fere omnia explicabuntur collatis Summa et Quaestionibus Stephani Langton 156vB/p. 97sq. & 258rB/p. 208sq., unde sequentia excerpsumus. (258rB/p. 208, cf. 1228–36:) “Notio est persona et in persona, quia eam distinguit ab alia persona. Notio est essentia, sed non in essentia, quia eam non distinguit.” (155vB/p. 97, cf. 1233–36:) “Quod proprietates sint essentia sic probatur: ‘In personis adoranda est proprietas’, ergo latria vel dulia. Non dulia, ergo latria. Sed latria non adoratur nisi divina essentia, ergo proprietates sunt divina essentia.” (... p. 98, cf. 1237–39:) “Item deus dicitur vere simplex. Anima non dicitur vere simplex, quia in ea est proprietas. Eadem ratione pater non debet dici vere simplex, quia proprietas est in patre. § Non est simile, quia proprietas est in anima ita quod anima non est illa, sed proprietas est in patre quae est pater.” (155vB/p. 97, cf. 1240–41:) “Dicimus quod personae proprietates sunt et sunt essentia, non tamen supposita proprietate supponitur essentia vel persona.” (258rB/p. 208, cf. 1240–47:) “Item, nulla notio est alia, sicut nulla persona est alia. Quaelibet notio est persona in qua est, non tamen supposita persona supponitur notio nec econverso, nec quod verum est de persona est verum de notione nec econverso. (...) Item non valet hoc argumentum: paternitas est pater, pater est innascibilitas, ergo paternitas est innascibilitas, sicut <nec> ‘pater est essentia, essentia est filius, ergo pater est filius’.” (155vB/p. 97sq., cf. 1248–51:) “Item paternitas est in patre, non tamen supposita paternitate supponitur pater.

Quare non similiter “bonitas est in divina essentia, non tamen supposita bonitate supponitur divina essentia?” § Haec est ratio: si bonitate supposita non supponeretur divina essentia, eadem ratione supposito deo non supponitur divina essentia. Et si hoc, cum per hoc nomen ‘bonitas’ supponatur quid, et per hoc nomen ‘deus’ quid, oporteret quod duo essent principia. Eodem modo etiam modo si per hoc nomen ‘paternitas’ supponeretur quid, duo essent principia, cum pater sit generatio et spiratio.”

**1252–1308** Nullam proprietatem cuiquam quinque notionum inesse et quaedam ex hoc dogmate sequentia docet Andreas. Primo quidem (1252–64) non omnia quae de personis vel de divina essentia dicantur de notionibus dicenda esse docet. Secundo (1265–1308) notiones non item ut personas esse distinctas, et ideo neque deum neque personas ad numerum proprietatum cuiusque denominative ‘quinus’ ‘trinus’ ‘binus’-ve dici. Huic disputationi duo corollaria de dictionibus non-identitatem significantibus annexa sunt (1279–99, cum ulteriore corollario de verbo ‘convenit’, & 1303–08). Haec in summa. Veniamus ad singula:

(1252–57:) Verbum proprietatem personae copulans de notione dici non potest. (1258–64:) Non omnia verba divinam essentiam copulantia de notione dici possunt. (1265–73:) Quinque notiones non faciunt deum quinum, nec tres notiones Patris Patrem trinum nec duae notiones Filii Filium binum faciunt. (1274–78:) Quamquam notiones sunt quinque non sunt distinctae nec est in eis numerus quinarius. (1279–82:) Notiones non modo “differre” sed etiam “distinctas esse” tum tantum dici potest si vox ‘distinctae’ ita ut nullam proprietatem copulet sumi possit. (1283–99:) Quomodo personarum trinitatis una ab altera differre, alia esse, diversa esse, unave cum altera convenire dici possit. (1300–1302:) Contra bonum usum esset deum quinum dicere. (1303–08:) Utrum deus a creatura differat, distinguitur vel distinctus sit.

1267–73 ita legas: Quia tres personae distinctae sunt proprietatibus (= notionibus), deus “trinus” dicitur; sed non dicitur “quinus” a quinque notionibus, quia notiones distinctae non sunt. Ex dictis notionibus Pater est tres (paternitas, innascibilitas, spiratio), Filius duae (filiatio, spiratio) – quarum una (spiratio) Patri et Filio communis est; non tamen propter hoc Pater trinus est nec Filius binus. 1299 “ponatur”: sc. hoc verbum ‘convenit’.

Ceterum excerpta ex Summa et Quaestionibus Stephani Langton commentarii opus sustinebunt: (156rA/p. 98sq., cf. 1252–57:) “Item nomen copulans divinam essentiam in adiacentia dicitur de notione, quia notio est essentia. Eadem ratione terminus copulans proprietatem convenientem personae potest dici de notione quia notio est persona, sic ‘paternitas generat’. Eadem ratione ‘innascibilitas generat’ quia innascibilitas est pater et ipse generat. Quo concesso sic: innascibilitas generat, ergo generatio est in innascibilitate, ergo cum generatio non sit innascibilitas, erit ibi concretio in

compositione materiae ad formam, quod falsum est. (...) § Ad hoc dicimus quod haec est falsa ‘paternitas generat’ et omnes subsequentes, quia si haec est vera ‘paternitas generat’ oporteret quod generatio esset in generatione, et ita proprietas est proprietas sui ipsius.” (155vB–156rA/p. 98–100, cf. 1258–64:) “Item quaeritur utrum dictiones copulantes divinam essentiam in adiacentia possint dici de notionibus sic: ‘paternitas creat’ ‘paternitas est immensa’ ‘paternitas est omnipotens’. § Probatio: vere dicitur ‘paternitas est’ et hoc verbum ‘est’ copulat divinam essentiam in adiacentia, quod sic probatur: Cum dicitur ‘paternitas est’ sic ostenditur quod paternitas habet essentiam; ergo creatam vel increatam. Non creatam, ergo increatam. Illa non est nisi divina essentia, ergo paternitas divina essentia est; ergo constat cum dicitur ‘paternitas est’ quod hoc verbum ‘est’ copulat divinam essentiam et in adiacentia, ergo sicut conceditur haec ‘paternitas est’, ita debet haec concedi ‘paternitas creat’. § Item haec vera ‘paternitas est aeterna’. Eadem ratione ‘paternitas est immensa’ et ‘omnipotens’ et huiusmodi. (...) <*Solutio:*> Item dicitur quod in huiusmodi ‘paternitas creat’ videndum est utrum huiusmodi locutio inveniatur in auctoritate, et si non invenitur, non est admittenda, sed habendus est respectus ad usum. Verbi gratia: hoc verbum ‘est’ dicitur tam de rebus animatis quam de rebus inanimatis, et de tamquam agentibus et non agentibus, et etiam ‘duratio’ se eodem modo habet. Quare concedimus hanc ‘paternitas est’ et etiam hanc ‘paternitas est aeterna’ cum sic copuletur divina essentia quasi duratio. Nullum vero terminum admittimus qui dicatur de rebus animatis vel de rebus agentibus vel tamquam agentibus. Unde omnes huiusmodi negamus ‘paternitas creat’ ‘est omnipotens’ et ‘immensa’ etc. nisi in aliqua auctoritate inveniatur.” (156rB/p. 100sq., cf. 1265–69:) “Item haec est vera ‘divina essentia est trina’ quia est in tribus personis ita quod in qualibet illarum. Similiter ‘deus est trinus’ quia est tres personae. Quare non similiter haec est vera ‘divina essentia est quina’ quia est in quinque notionibus ita quod in qualibet illarum? Similiter ‘deus est quinus’. § Haec est ratio: haec dictio ‘trina’ notat distinctionem non circa suppositum sed circa illa respectu quorum divina essentia dicitur trina, quare haec est vera ‘divina essentia est trina’ quia divina essentia est in tribus personis distinctis. Eodem modo haec dictio ‘quina’ notat distinctionem, et cum notiones non sint distinctae, haec est falsa ‘divina essentia est quina’ sicut et haec ‘divina essentia est in notionibus distinctis’. Quod notiones non sunt distinctae patet, quia nihil est in notione quo possit distinguiri, sed in persona est notio per quam distinguitur.” (156vA–B/p. 103sq., cf. 1270–78:) “Item quaeritur de hac ‘pater est trinus’, cum sit tres notiones. Si dicatur quod ipsa sit falsa, quia licet pater sit tres notiones, non tamen est in tribus notionibus; eadem ratione haec est falsa ‘deus est trinus’ quia licet deus sit tres personae, non tamen est in tribus personis. § Nos dicimus quod haec est falsa ‘pater est trinus’ quia haec dictio ‘trinus’ exigeret quod esset

distinctio in notionibus, cum connotet distinctionem. (...) § Item haec est falsa, ut videtur, ‘notiones sunt tres’ vel ‘quinque’, cum sic notetur distinctio. § Item, sicut haec est vera ‘notiones sunt differentes’, quare non similiter et haec est vera ‘notiones sunt distinctae’? § Ad hoc dicimus quod haec est vera ‘notiones sunt tres’, et haec dictio ‘tres’ non notat distinctionem, quia si hoc, haec esset falsa ‘Adam et Noe fuerunt duo’; et ita dicendum est cum disputatur ad hoc. § Sed quid notat haec dictio ‘tres’? § Dicimus quod illa de quibus dicitur hoc nomen ‘tres’ subiciuntur quasi ternario, et hoc notant huiusmodi distinctiones.” (156vB/p. 105, cf. 1279–82:) “Item forte dicetur quod notiones sunt distinctae, et iste terminus ‘distinctae’ nihil copulat etc.” (156vB/p. 105, cf. 1283–85:) “Item, si obiciatur de hoc termino ‘differt’, dicimus cum sic dicitur ‘pater differt a filio’, hoc verbum ‘differt’ non copulat essentiam nec notionem. Non copulat essentiam, quia secundum hoc pater essentia differ<sup><re>t</sup>a filio; non notione<sup><m></sup>, quia secundum hoc plures essent notiones quam quinque.” (149rA/p. 52, cf. 1286–88:) “Haec dictio ‘alius’ cum dicitur de rebus creatis copulat proprietatem, cum vero dicitur de patre et filio et spiritu sancto nihil copulat, sed notat distinctionem; unde haec est vera ‘pater est alius a filio’.” (156vB/p. 105, cf. 1289–91:) “De hoc termino ‘diversus’ dicimus quod notat differentiam in essentia. Unde haec est falsa ‘pater est diversus a filio’.” (285vA, cf. 1289–94:) “Item haec est vera ‘quaelibet persona differt ab alia’ sed nulla est diversa ab alia: diversitas enim respicit essentiam, differentia vero personam.” (156vB/p. 105, cf. 1295–99:) “Item, hoc verbum ‘convenit’ venit pro proprietate. Non dico ‘copulat proprietatem’, quia secundum hoc plures essent notiones quam quinque. Unde haec est vera ‘pater convenit cum filio hac notione’ demonstrata spiratione; ergo haec est falsa ‘divina essentia convenit cum Petro’. Nunc [n.: non *codd.*] quia iste terminus ‘convenit’ superior est ad hunc terminum ‘similis’ et copulat divinam essentiam quandoque sicut †etiam† ‘pater essentia convenit cum filio’....” (156vB/p. 105, cf. 1303–08:) “Item, in creatura cum dicitur ‘iste est similis illi’, haec dictio ‘similis’ copulat proprietatem, ergo videtur quod haec sit falsa ‘divina essentia est similis Petro’. § Item haec est falsa ‘divina essentia distinguitur a Petro’, quia hoc verbum ‘distinguitur’ exigit proprietatem qua divina essentia distinguatur a Petro, et nulla est proprietas in divina essentia. § Ad hoc dicimus quod haec dictio ‘similis’ in creaturis copulat proprietatem, sed in trinitate nusquam copulat proprietatem. Similiter hoc verbum ‘distinguitur’ ubique exigit proprietatem – non dico quod copulet, quia hoc est falsum. Unde haec est falsa ‘divina essentia distinguitur a Petro’, haec vera ‘divina essentia est similis Petro’, quia haec dictio ‘similis’ copulat essentiam et notat quod unum non sit aliud.”

**1309–1317** Hic notiones in praedicamentis Aristotelicis praedicabilitusve Porphyrianis includi negat Andreas. Nullum, inquit, vocabulum de

deo vel personis vel notionibus dictum proprie “praedicat”; talia vocabula “copulare” quam “praedicare” tutius dici possunt.

Cf. Summam Stephani Langton 156vA/p. 103: “Item quaeritur utrum paternitas designet speciem. Probatio: Cum dicitur ‘paternitas est pater’; praedicat<ur> sumptum ab aliqua proprietate; sed non nisi ab ista ‘paternitas’; ergo ‘paternitas’ significat speciem. § Quod negamus, quia si significaret speciem, esset natura; et si esset natura, esset quid; et si hoc, divina essentia esset plura, cum divina essentia sit plures notiones. Et dicimus quod nullus terminus in trinitate praedicat aliquid vel significat nisi prout sumitur in grammatica hoc nomen ‘significatio’. Sed dicendum est quod termini in trinitate copulant.” Fere eadem in Quaestionibus, 258rB/p. 209, leguntur.

**1318–1343** Solvuntur quaestiones quae ex eo oriuntur quod quinque notiones systema ex relationibus cum suis conversis (“correlationibus”) constans non efficiunt. 1318–35 de innascibilitate, 1336–43 de communi spiratione agit Andreas. Easdeme quaestiones Stephanus Langton in Summa tractat: (157rB/p. 109, cf. 1318–19:) “Item innascibilitas est in patre et notat quod a nullo sit pater et alias ab eo.” (157vA/p. 110, cf. 1320–25:) “Item innascibilitas est relatio. Quaeritur ergo quae sit eius correlatio. Si dicatur quod filiatione, ergo filiatione habebit duas correlationes, quod esse non potest. § Ad hoc dicimus quod innascibilitas est relatio large accepto hoc nomine, scilicet quia significat respective; sed secundum quod relatio stricto modo dicitur, secundum quod exigit correlationem, innascibilitas non est relatio.” Ad 1323–25 conferendus est etiam Martinus in Summa, 33rB: “Sunt tamen quidam qui dicunt innascibilitatem esse proprietatem. Sed si proprietas est qua pater discernitur a filio et spiritu sancto, relatio est; et si relatio, et correlationem videtur habere; ergo aut filiationem vel aliam. Si aliam a filiatione et processione, plures erunt personales relationes quam quinque. Si vero filiationem habet correlationem, aut una relatio habebit duas correlationes, aut innascibilitas erit paternitas, quod est impossibile.” Revertamur ad Stephanum. (157vA/p. 110, cf. 1326–31:) “Item in patre est quaedam proprietas ex eo quod ipse a nullo et alias ab eo. Quare non similiter est quaedam proprietas in spiritu sancto ex eo quod ipse ab alio et nullus ab eo? § Haec est ratio: pater dicitur esse a nullo ita quod abnegetur quilibet modus, scilicet creatio et huiusmodi. Sic non potest dici quod nullus sit a spiritu sancto quia creatione omnia sunt a spiritu sancto.” (157vA/p. 110sq., cf. 1332–35:) “Item quaeritur quare non sit quaedam proprietas in patre ex eo quod alias ab eo et ipse a nullo personaliter. § Ad hoc dicimus quod non oportet, quia illa continetur sub predicta quae provenit ex eo quod alias ab eo et ipse a nullo ita quod removetur omnis modus. Simile: cum dicitur ‘iste locus est vacuus’ sic ostenditur quod nullum solidum continetur, et per consequens quod nul-

lum solidum album. § Item si notio esset in patre ex eo quod ipse a nullo personaliter et alius ab eo, eius correlatio esset ‘ex eo quod aliquis ab alio et nullus ab eo’, sed pater differt a filio et spiritu sancto relatione illa, ita quod ab utroque, ergo filius et spiritus sanctus differunt a patre relatione illa ita quod utrumque, et ita filius differt a patre ex eo quod ipse ab alio et nullus ab illo. Sed hoc falsum, quia alius ab eo. Et ita constat quod nulla proprietas est in patre ex eo quod ipse a nullo personaliter et alius ab eo, et etiam per hoc certum est quod nulla proprietas est in spiritu sancto ex eo quod nullus ab eo et ipse ab alio.” (157vB/p. 113, cf. 1336–43:) “Consequenter dicendum est de spiratione quae communis est patri et filio, tamen ita communis quod utriusque convenit. Primo ergo notandum (...) Item, quaedam notio est in patre et filio ex eo quod spiritus sanctus procedit ab illis. Quare non similiter est quaedam notio in spiritu sancto et filio quia procedunt a patre? § Haec est ratio: Spiritus sanctus eodem modo procedit a patre et filio, filius autem et spiritus sanctus non eodem modo procedunt a patre.”

**1344–1395 De principio.** Iam a versu 1336 de communis spiratione institutus sermo in disputationem de voce ‘principium’ gradatim transmutatur. Ut dicit Stephanus Langton in Summa 157vB-rA/p. 114, “hoc nomen ‘principium’ tres habet significationes. In prima est tantum essentiale, ut haec dictio ‘deus’; et in illa significatione sicut hoc nomen ‘deus’ potest restringi ut supponat personam, ita et hoc nomen ‘principium’, et in omnibus idem est iudicium de hac dictione ‘principium’ et de hac dictione ‘deus’. In secunda significatione hoc nomen ‘principium’ significat eandem notionem quam haec dictio ‘pater’ sive haec dictio ‘auctor’. Idem enim est dicere ‘est pater filii’ ‘est auctor filii’ ‘principium filii’. (...) in tertia significatione hoc nomen ‘principium’ significat idem quod ‘spiratio’ secundum quod est communis patri et filio”. Andreas versibus 1344–1360 de tertia significatione, 1361–71 de secunda, 1372–1377 de prima tractat. 1378–1389 de locutionibus ‘principium sine principio’ et ‘principium de principio’ agit, quibus absolutis corollarium de locutionibus ‘ingenita sapientia’ et ‘genita sapientia’ addit.

De principio disputant: P. Lomb. I d.29; P. Pict. I c.30; Stephanus Langton in Summa 157vB–159rB/pp. 113–122; id. in Comm. super Sententias Petri Lombardi pp. 35–38 Landgraf; Praepositinus in Summa I.11.8–10 & I.14.4–7, pp. 272–275 & 286–287 Angelini; Martinus in Summa 27vB–29rB; Guillelmus Altissiodorensis in Summa Aurea I.viii.vi, pp. 140sqq. Ribaillier.

Iam ad singulas partes huius capituli veniamus:

**1344–60 Principium = spiratio communis.** (1344–54:) De illo Augustini (1) ‘pater et filius sunt unum principium spiritus sancti’. Sensus hic est: (1344–49:) Augustinus ideo quod unum eundemque modum spirandi patri et filio esse recte viderat, propositionem (1) hoc sensu dixit: (1') ‘pater et filius

uno modo (una spiratione) spiritum sanctum spirant'. In propositione (1) 'principium' adiective intellegatur, ita ut neque pro patre neque pro filio supponat, neque dictione relativa ('quod', 'illud', 'ipsum', 'idem' etc.) referri possit. Non ergo (1') 'Pater et filius sunt unum principium quod ...' '... et illud ...' similiave dicenda sunt. (1350–53:) Altera solutio: 'principium' est nomen complexivum, i.e. "nomen quod singulariter prolatum multis convenit ita ut unicuique illorum" (ut dicit Petrus Helias). Ergo, sicut non modo (2a) 'homo est haec pars orationis, sc. nomen' et (2b) 'equus est haec pars orationis, sc. nomen', sed etiam (2c) 'homo et equus et reliqua nomina simul sunt haec pars orationis, sc. nomen' congrue dicimus, ita non modo (1a) 'pater est unum principium s.s.' et (1b) 'filius est unum principium s.s.' sed etiam (1c) 'pater et filius simul sunt unum principium s.s.' pie dicere possumus. Cum 'principium' "divisim" supponit, (1) 'pater et filius sunt unum principium s.s.' = (1a)+(1b); cum vero "coniunctim", (1)= (1c). (1353:) Non tamen convertenda est propositio, ut dicatur 'unum principium est uterque'. (1354–60:) Ut visum est, 'principium' spirationem significat. Ideo 'pater et filius sunt duo principia s.s.' non est concedenda, cum sic tolleretur unitas spirationis. Quod Hilarius 'spiritus sanctus est ex patre et filio auctoribus (= principiis)' dicit, ita exponendum est ut numerus pluralis ad pluralitatem suppositorum (quae sunt pater et filius), non ad pluralitatem significatorum spectet (una enim est spiratio, quam significat hoc nomen 'principium').

Stephanus Langton im Summa 157vB–158rB/pp. 113–16, capitulo "De principio" haec dicit: "Item dicit Augustinus quod sicut pater et filius et spiritus sanctus sunt unum principium creaturarum, ita pater et filius sunt unum principium spiritus sancti. (...) Nota: hoc nomen 'principium' habet tres significationes. (...) in tertia significatione hoc nomen 'principium' significat idem quod 'spiratio' secundum quod est communis patri et filio. § Sed qualiter respondendum est ad illud Augustini? (...) dicimus ergo quod hoc nomen 'principium' in tertia acceptione supponit personam et copulat notionem, unde haec est vera 'uterque istorum' – demonstrato patre et filio – 'est principium spiritus sancti', non tamen principium spiritus sancti est uterque istorum, quia oporteret quod uterque esset eadem persona, cum ibi hoc nomen 'principium' supponit tantum pro persona filii vel pro persona patris, cum non confundatur. Haec enim simpliciter falsa 'pater et filius sunt aliquod principium spiritus sancti', quia cum dicitur 'pater est principium spiritus sancti' hoc nomen 'principium' supponit pro persona patris et copulat notionem; cum vero dicitur 'filius est principium spiritus sancti' supponitur persona filii cum eadem notione. Similiter hanc negamus 'pater et filius sunt principia spiritus sancti' et hanc 'pater et filius sunt principium et principium spiritus sancti'; quia hoc nomen 'principium' hinc inde copulat notionem, et dictio copulativa exigeret diversitatem in notione si-

cut et hic ‘deus et deus est’ in essentia, et est simile hinc inde. Sicut enim contingit ibi de essentia, ita et hic de notione. Et ita respondemus ad illud Augustini ‘pater et filius sunt unum principium spiritus sancti’: haec dictio ‘unum’ respicit notionem (sicut et hic ‘iste facit unam statuam’ haec dictio ‘unam’ respicit formam) et haec dictio ‘principium’ tenetur adjective, et est sensus ‘pater et filius sunt unum principium spiritus sancti’ i.e. sunt uno principium spiritus sancti’ – nisi velimus dicere quod hoc nomen ‘principium’ tenetur collective.” Idem in Commentario super Sententias Lombardi, ad I d. 30, p. 38 ed. Landgraf: “Respondeo aliter: Est hec impropria: Pater et Filius sunt unum principium, [id est sunt unum principium (id – principium *delevimus*)], id est sunt uno principium, quia una notione sunt principium. Et ponitur adjective nec ad istud fit relatio.”

Quid sit “nomen complexivum” (1350) a Petro Helia, grammatico celeberrimo, docemur, qui in Summa super Priscianum, lib. I cap. de littera, p. 10 ed. Reilly, sic dicit: “Est autem complexivum nomen quod singulariter prolatum multis convenit, ita quod unicuique illorum. Sicut hoc nomen ‘homo’ est haec pars orationis, nomen, ita unumquodque nomen est haec eadem pars orationis, ita, scilicet, quod omnia nomina simul sunt haec pars orationis et unumquodque nomen est haec eadem. Ideoque ‘pars orationis’, hoc ipsum quod modo dixi, complexive dicitur de nominibus.” Perquam similia in secundo libro, cap. de dictione, pp. 107–108 Reilly, dicit.

**1361–71** Sensus hic est: Fit ut ‘principium’ paternitatem (= aeternam generationem) significet; ideo (1) ‘pater est principium filii’ concendenda est, sed non sequitur (2) ‘ergo pater est prior filio’. Praeterea (3) ‘pater est principium filii et spiritus sancti’ non est concedenda, cum falsa sit sive ‘principium’ generationem (paternitatem) sive spirationem significat: nam pater neque utramque personam generat neque utramque spirat, sed unam generat, alteram spirat. Augustinus cum diceret (4) ‘pater est principium totius deitatis’ improprie locutus est; (4) enim propositioni (3) aequipollent, quam proprie intellectam falsam esse constat; quare eum nomine ‘principium’ aequivoce, pro generatione et spiratione, usum esse patet, ita ut hoc modo exponi oporteat: (4) i.e. (3) i.e. (3) ‘pater est generans filium et spirans spiritum sanctum’.

**1372–1377** Hic est sensus: Nomine ‘principium’ divinam essentiam creatricem significari posse auctoritate Augustini confirmatur, qui patrem, filium et spiritum sanctum unum principium creaturarum esse dixit. Constat igitur deitatem principium aeternum sive creatorem aeternum esse, cavendum autem ne deum “ab aeterno creatorem”, i.e. “ab aeterno creare vel creasse”, dicamus (quia sequeretur mundum initio temporali caruisse): ab aeterno deus potentiam creandi habuit, et hoc sensu ‘creator aeternus’ sive ‘principium aeternum’ dicitur; actus vero creandi ante tempus non fuit.

Cf. Commentarium Stephani Langton in Sententias Lombardi I

d.29, p. 35 ed. Landgraf: “Set nota, quod hoc nomen principium dicitur quandoque essentialiter de tota Trinitate, ut tota Trinitas est principium omnium creaturarum.” Cf. porro eiusdem *Quaestiones* 269rA-B (“De hoc nomine ‘aeternus’”).

**1378–1395** Sensus hic est: Hae iuncturae vocabulorum (1) ‘principium sine principio’, (2) ‘principium de principio’, (3) ‘ingenita sapientia’ duobus modis considerari possunt: (a) ut orationes, i.e. ut nomina vere complexa, quae eum sensum faciunt qui ex singulis partibus efficiuntur; (b) ut dictiones, i.e. ut nomina revera incomplexa, quamvis complexa videantur, quorum sensus ex partibus elici non potest. Sensu (a), (1) de qualibet persona trinitatis, (2) de filio et spiritu sancto, (3) de qualibet persona dici potest. Sensu (b), (1) de solo patre, (2) de solo filio, (3) de solo patre dicitur.

De (1) & (2) longa extat disputatio in Summa Stephani Langton, 159rA-B/pp. 120–22, his verbis conclusa: “Et ita iudicandum est de hiis terminis ‘principium de principio’ ‘principium [est] sine principio’ secundum quod contrahunt significationem ex partibus. Sed <secundum quod> sunt quasi quaedam appellations, iste terminus ‘principium sine principio’ appellat patrem, iste terminus ‘principium de principio’ appellat filium.” De (3) in eadem Summa 152rB–vA/p. 75 sic dicit: “Item ‘sapientia genita et sapientia ingenita sunt’: haec est duplex duobus modis, quia hoc nomen ‘sapientia’ potest esse appropriatum filio, et secundum hoc est personale; vel potest dici de qualibet persona, et secundum hoc est essentiale. Secundum hoc ergo quod est personale, praedicta vera est, et apponitur hoc nomen ‘ingenita’ ad determinandum aequivocationem. Vel iste terminus ‘sapientia ingenita’ potest esse circumlocutio cuiusdam nominis, et secundum hoc vera; vel potest contrahere significationem ex partibus, et sic falsa est.”

**1396–1416** Opinionem quorundam magistrorum, quibus nullae proprietates ponendae esse visae sint, Andreas refert. Celeberrimus istius opinionis sectator fuit Praepositinus; vide Summam eius 1.12.2–6, pp. 277–80 Angelini. Andream vero, more suo, non ex fonte originali sed ex Stephano Langton vel ex nescio quo communi sibi et Stephano fonte hausisse perspicuum est. Stephanus in Summa 159rB/pp. 122–23: “Item alli dicunt quod nulla proprietas est in trinitate, et nihil est nisi ficticum quod dicitur ‘notiones esse’, et hoc nomen ‘pater’ nihil copulat, nihil significat, sed supponit. (...) Sed quid est dictu ‘proprietas est in patre’? Quod pater est pater. § Sed contra sic: Augustinus dicit: proprium est patris quod pater semper est pater et proprium est filii quod semper sit filius, et ita si est proprium, aliqua proprietate est proprium. § Non secundum eos. Et ita solvunt hoc: ‘proprium est patris etc.’, i.e. tantum pater est pater. § Item ‘in personis proprietas est adoranda’: est idem modus loquendi huic ‘rogo dilectionem tuam’, i.e. te dilectum. Sic ergo debet intelligi ‘in personis proprietas est adoranda’: i.e. personae distinctae sunt adoranda. (...) § Item Hieronymus dicit quod perso-

nae se ipsis distinguuntur. Quod est intelligendum abnegative sic: se ipsis, non aliis. § Sed quaeritur quomodo distinguuntur. Ad hoc dicunt quod pater distinguitur a filio per hoc [hoc: hanc *cod.*] ‘esse patrem’. Si quaeritur quid hoc sit dictu, dicunt quidam modum esse loquendi.”

Periodus 1396–1402 satis obscura est. Hunc in modum explicaverim: Quamvis sententia supradicta egregiis magistris placuerit (sederit = placuerit), non est dubium, i.e. sciendum est, illam sententiam viris non inferioribus displicuisse qui docerent, quamvis talis notio non esset deus sed prorsus nihil et nihil esset proprietas, tamen utile esse figmentum cum proprietates esse dicerentur, quo de personis etc.

Ad versus 1410 sqq. intellegendos Summam “Quoniam homines” Alani ab Insulis § 63, pp. 212–13 Glorieux, inspicere iuvabit: “Item Ieronymus: non solum profitemur vocabula sed et vocabulorum proprietates, id est personas. (...) Ieronymus autem proprietates vocabulorum vocavit proprias eorum significationes id est personas, contra Sabellium qui unam [unam *scriptimus*: illam *ed.*] et eamdem dicebat esse significationem istorum nominum. Et ideo emphatice significata vocabulorum dixit proprietates; quia sicut res proprietatibus discernuntur ita vocabula suis significationibus.”

**1468–1562** Hos versus, (praeter 1528–44) illustravit F.S. Pedersen (1985). Ad 1468–1516 cf. Mortensen (1985,2: 144).

**1752–1755** Gertz (1892: 429) in addendis: “*scrbd.*: 1752–55 PL 2,18,c; 4,28,c.”

**1813sqq.** De expositionibus allegoricis libro IV contentis disputavit Mortensen (1985,2: ch. III.2).

**1822–2088** De libro Allegoriarum Petri Pictaviensis, quem Gertz in codice Claravallensi extare se legisse dicit, vide praefationem nostram § 1,4, p. 21.

**2352** Gertz (1892: 429) in addendis: “enarratio u. 2352 falsa est; nam ‘se faciat efferri’ = ‘se ex insula asportandum curet’. Hanc insulam Hiberniam esse ostendit locus Alexandri Neckham (“de laudibus diuinae sapientiae”, dist. V, 883 sqq.):

Munditiae titulis polleret Hibernia, si non  
moribus in cultis barbara tota foret.  
Reptilibus nocuis letali peste ueneni  
indicit bellum, fata subire iubens.

Est locus, ut referunt, ambitus dulcibus undis,  
quo nil iuris habet tertia Parca querens;  
sed cum iam languet natura mori cupientis,  
cogiturn affinem corpus adire locum:  
tunc mors lenta prius pernicibus aduolat alis,  
complet et officium Parca seuera suum.”

Vide Alexandri Neckham “De naturis rerum libri duo. With the Poem of the same author De laudibus divinae sapientiae. Edited by Th. Wright.” (Rerum Britannicarum Medii Ævi Scriptores). Londinii 1863, p. 461.

**2767–2768** Cf. Perger (1894: 34): “Heisst es in VV. 2767 f. von der ersten Person des hh. Dreifaltigkeit: *cum sit reliquis Pater auctor, principium generans Gnarum, spiransque Benignum*, so ist *principium* ebensowohl wie *auctor* Prädicat und der Sinn: *Pater est principium, quod generat Filium et spirat Spiritum sanctum*. G. <ertz> (...) fasst (...) unrichtig *principium* als einen von *generans* regirten Accusativ auf.” Cf. quae ad 1361–71 diximus.

**2988–3018** Quaeritur utrum possit fieri eleemosyna vel oblatio de rebus male acquisitis, et utrum huiusmodi regula sufficiat: “Qui de suis dat, bene dat; qui de alienis, male.”

Ad totam rem, et praesertim ad vv. 2996–97 intellegendos, cf. Quaestionem Stephani Langton “Utrum possit fieri eleemosyna de rebus male acquisitis” (269vA–270rB), ex qua haec (269vB): “Item quaeritur utrum meretrix possit facere eleemosynam de re meretricio acquisita. § Videtur quod illam rem meruit, et illa [illam … illa: *an illa … ille scrbd.*?] voluit dare, et ita transiit in dominio ipsius. Si negetur, ideo sc. quod iniuste acquisivit, quo mercator qui res suas vendit mentiendo? Si concedatur quod possit, quare non similiter usurarius de usura sua? § Item videtur quod non possit facere oblationem, quia in lege dicitur ‘Non offeras mercedem prostibuli, quia abominatio est apud deum’. § Solutio: Meretrix potest inde facere eleemosynam quia suum est. Transiit enim in dominium ipsius. Sed de oblatione dicitur quod propter scandalum non recipitur eius oblatio, non quia non possit inde facere, sed quia turpiter acquisivit. Unde lex saecularis dicit ‘turpiter facit cum sit meretrix, sed turpiter non accipit’, et ita acquisitio est ei mortale peccatum, sed ipsum acquisitum non. Sed usurario ipsa acquisitio est ei mortale peccatum sicut meretrici, et etiam ipsum acquisitum est ei mortale peccatum, quia accipit ultra quam iustum sit, et ita malo modo acquirit, et ita aliud est in usurario.” Praeterea cf. Summam Martini, 61rB: “Item quaeritur de beata Magdalena, quae unguentum emit de infami quaestu corporis et ex eo unxit pedes domini. Hoc tamen factum sancti commendant in ea. § Responsio. Distinguendum est inter male [m.: mala cod.] acquisita. Quandoque enim quis aliquid male acquirit nec in ipsum transfertur rei acquisitae dominium. Interdum aliquis male acquirit aliquid et in ipsum transfertur dominium rei. In primo casu de male acquisitis fieri non potest eleemosyna, in secundo potest. Verbi gratia: in simonia, furtu, usura, rapina non transfertur dominium rei in eum qui male acquirit. In quaestu fornicis dominium rei, licet male et turpiter acquisitae, transfertur a datore in accipientem stipendum. Unde lex in Digestis: ‘Ubi dantis et accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur ut male iudicetur’, iudicem enim corrumpere videtur. Item ‘si ob stu-

prum datum sit, vel si quis in adulterio deprehensus redemerit se, cessat repetitio. Item si dederit fur ne proderetur, quoniam utriusque turpitudo versatur, cessat repetitio. Sed quod meretrici datur repeti non potest, sed nova ratione: non ea quod turpitudo utriusque versatur, sed solius dantis: illa enim turpiter facit, sed non turpiter accipit, cum sit meretrix.”” [Digestorum lib. 12, tit. 5, 3-4; *Corpus Iuris Civilis*, ed. Kriegelii (Lips. 1887) I: 235-236].

**3243** Enarratio Gertzii falsa est, nam ‘profectus’ ‘o’ correpta participium est, a ‘proficiscor’ derivatum, non substantivum a ‘proficio’ derivatum. Cf. Matth. 25.14: “Sicut enim homo proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua”, Marc. 13.34: “Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suum ...”.

**3464** Gertz “Non fuit in Christo, spectante” sc. Deum semper “Deoque fruente semper, spes uirtus” scripsit. Coniectura eius (“spectante” pro “sperante”) verbis Lombardi, Sent. III d.26 c.4 (94), “Speravit tamen Christus, sicut in Psalmo ait: ‘In te, Domine, speravi’; nec tamen fidem vel spem virtutem habuit, quia per speciem v i d e b a t ea quae credebat” quodammodo roboratur, vix autem tantam vim contrahit ut recipienda sit. Cf. praeterea Summam Martini 86vA-B: “Quaeritur utrum Christus habuit fidem et spem. (...) Solutio. Christus dicitur credisse et sperasse, non quia fidem vel spem habuit, sed eo modo quo Petrus dicitur in patria credere resurrectionem et sperare se recepturum stolam corporis. Si sic inferat aliquis ‘Christus speravit vel credidit, ergo habuit fidem vel spem’, instantia: ‘deus pater est fidelis, ergo habet fidem’; vel distingue sic: ‘Christus speravit (i.e. Christus habuit virtutem); falsum est; ‘speravit (i.e. certissime gloriam immortalitatis expectavit), verum est.’”

**4450–5893** De fontibus librorum VIII-IX vide Mortensen (1985,2: 185–194).

**4793** Gertz “cum contentarum specierum sit genus esse” per “cum (necesse) sit genus esse contentarum specierum, i.e. ex iis speciebus constare quae in eo continentur” explicavit. Nobis aut “cum natura specierum sit ut suum genus sint = cum genus praedicetur de suis speciebus” aut “cum genus sit esse (= natura) specierum” significari videtur.

**4816–31** Sensus hic est: (*4816–19:*) Sit *p* dictum falsum, v.g. “crumenam apostolorum vacuam esse” crumenâ plenâ enuntiatum. Ad hoc ut Iudas mentiatur duo concurrent necesse est, sc. (1) “dictio” = actus dicendi *p*; (2) “credulitas contraria dicto” = actus credendi *non-p* sive non-credendi *p*. Deus utriusque actus auctor est et utrumque separatim vult, non tamen coniunctionem eorum qua mendacium surgat vult. Haec igitur propositio ‘Deus vult Iudam mentiri’ falsa est, quamvis Iudas mentiatur. (*4820–31:*) Est autem opinio quorundam huiusmodi propositionem ‘Deus vult istum peccare’ aliter iudicandam esse. Aut enim, aiunt, de re agitur aut de dicto.

Si de re, sensus falsus oritur, sc. “Deus vult peccatum”. Si de dicto (quod est ‘istum peccare’), distinguendi sunt sensus eius verbi quod est ‘vult’. ‘Vult’ = ‘approbat’ intellecto, “Deus vult ‘istum peccare’” est falsa propositio. ‘Vult’ = ‘existentiâ donat’ = ‘facit esse verum’ intellecto, propositio vera est. Haec illi, sed in huiusmodi obiectionem (4828–29) incurunt: qui dicta eo vera fieri quod Deus eis existentiam praebeat asserit, negare non potest quin eventus, i.e. dicta actuali veritate praedita, aliquid sint, cum plerique eos nihil esse autem.

De quaestione utrum Deus velit mala fieri, cf. P. Lomb., Sent. I d.46; Praepositum in Summa 1.7.9, p. 245 Angelini; Martinum in Summa 17rA; Stephanum Langton in Comm. Sent. pp. 63–65 Landgraf; eundem in Quaest. 215vA–216vA & 262rA–vB. Praepositus l.c.: “Ad hoc sic: Deus vult omne verum esse verum; sed istum fornicari est verum; ergo deus vult istum fornicari. § Solutio: potes distinguere hanc ‘deus vult istum fornicari’, i.e. ‘vult hoc enuntiabile esse verum’ – vera est; ‘vult actionem fornicationis vel fornicantis’ – falsa est.”

**4860–62** Gertz “supposito” adiective, “esse” substantive poni ratus hunc locum falso enarravit. Ponitur enim “supposito” substantive, “esse” vero verbaliter, ut sit sensus: “In hac propositione ‘actus est deformis’ praedicatus terminus (‘deformis’) nihil apponit, i.e. nullam proprietatem supposito (= rei subiectae, sc. actui) inesse significat.” ‘Suppositum’ et ‘apponere’ termini technici grammaticorum erant. ‘Deprenditur’ variandi sermonis gratia pro ‘intelligitur’ scripsit Andreas.

**5485sqq.** Perger (1894: 35–36): “Von der *sacramentalen* Beicht wird V. 5485 ff. gelehrt: Wer sich reuig (*pure, contrito corde*) derjenigen Todsünden, deren er sich erinnern kann, im Einzelnen anklagt und der anderen, welche vielleicht seinem Gedächtnisse entfallen sind, im Allgemeinen, *in genere*, wird gerechtfertigt, wenn ihm auch die lässlichen Sünden nicht verziehen werden, welche er, nicht aus Verachtung, sondern weil er sie für Kleinigkeiten ansieht, zu bereuen vergisst. Die Verse lauten:

Quando fit *in genere* pure *confessio* cuncta,  
quae non occurunt animo, mortalia tollens,  
ad quas delendas animus non advolat [non attendit, ut doleat], instar  
baptismi [*confessio haec*] maculas veniales transvolat [non delet] omnes;  
nec quia contemnit venialia, praeterit is, qui  
mortales culpas contrito-corde fatetur,  
sed quia non credit multum nocitura saluti:  
quare nec veniae maculas oblivio delet,  
nec, quas mens recolit, contemtus ad infera mittit.

“*Confessio in genere*” im ersten Verse ist *confessio sacramentalis generalis*, das Bekenntniss des Beichtenden: Ich klage mich auch aller etwa vergessenen Todsünden an. G. <ertz> dagegen scheint darunter dit Recitation des

Confiteor zu verstehen, “quae fit in dies in sacrificio matutino et vespertino”, obgleich er selbst des näheren Verständnisses wegen auf den Lombarden 4, 21e verweist und dieser gerade an der angezogenen Stelle unzweifelhaft die sacramentale Beicht als nothwendig anerkennt (...).”

**5894sqq.** De expositionibus allegoricis libro X contentis, cf. Mortensen (1985,2: ch. III.2). De doctrina theologica eiusdem libri egit Hägglund (1985).

## LIBER XI

Undecimi libri enarrationem a Gertzio omissam infra praestabimus. Continetur autem libris XI et XII, usque ad v. 7590, tractatus de incarnatione, eadem fere problemata complexus quae distinctiones 1-22 tertii libri Sententiarum Lombardi. In qua materia exponenda Andreas ita processit, ut primo (6675-6886) duas opiniones suo tempore celebratas de unione hypostatica proponeret et falsitatis argueret, ut deinde tertiam et veram opinionem secutus singulas quaestiones de Christo absolveret. De controversiis circa incarnationem saeculo duodecimo habitis videoas Nielsen (1982). Ex libris ad textum Andreeae spinosum intelligendum utilibus, praesertim nominandi sunt: Anonymi Apologia de Verbo incarnato; Anonymi (fortasse P. Cantoris) Tractatus de homine assumpto; Anonymi Opusculum de homine assumpto, cod. Paris. 3477: 3rA-4rB; Godefredi Pictaviensis Summa, 114rBsq.; Iohannis Cornubensis Eulogium; Martini Summa 105rBsqq.; Petri Pictaviensis Sent. IV; Simonis Tornacensis Institutiones, cod. Lond. Royal 9.E.XII, 30r-34v; Stephani Langton Quaest. 323rA-325v; eiusdem Comm. Sent. pp. 104sqq. Landgraf.

**6675-6775** Disputatio contra ponentes Christum “secundum habitatum” hominem esse. Contra quos Andreas sic procedit: (6675-6712:) Argumentis eorum principalibus, ex sacra scriptura et Iohanne Damasceno tractis, eversis, (6713-6775) aliis argumentis positionem eorum falsam esse ostendit.

Elementa huius opinionis Godefridus in Summa 114rB (paucis mutatis = Summa Praepositini 51vB) ita describit: “Magnorum magistrorum fuit olim opinio quod Christus hoc sensu dicitur homo: id est habens hominem, i.e. habens humanam naturam sibi unitam, sc. animam et carnem, ex quibus asserebant nihil esse constitutum; nec dicunt quod substantialis proprietas quae est humanitas sit substantialis filio dei, quia non concedunt quod Christus sit aliquid secundum quod homo, ita ut proprie accipiatur haec dictio ‘aliquid’, sed sub hoc sensu concedunt: ‘est aliquid, id est alicuiusmodi, secundum quod homo’. Et dicunt quod unio carnis et animae ad Verbum facit hominem, et unio animae ad carnem facit viventem. Unde in triduo, quia soluta fuit illa unio quae est animae ad carnem, mortuus fuit. Quia vero alia unio, quae est carnis et animae ad Verbum non fuit soluta,

fuit tunc homo. Nec concedunt quod ‘homo’ dictus de Christo praedicit speciem sed [ + accidens sc. *in mg*] habitum, sicut dicunt innuere Apostolum ubi de Christo loquens ait ‘habitu inventus ut homo’ (...) Hanc pauperimam opinionem indignum iudicamus persequendam rationibus et auctoritatibus. Hoc solum sufficiat dicere circa ipsam quod dominus papa Alexander istam sententiam condemnavit, sicut expressum est in decretali.”

**6678–6684** sensus hic est: Quod in Psalmo 21.7 “ego autem sum vermis et non homo” legitur ita intellegendum est ut ‘vermis’ = “sine semine natus”, ‘homo’ = “peccator”; quae expositio verbis Pauli in epistula ad Romanos (6678–79) roboratur. Ergo psalmus non est argumentum quo Christus verus homo esse negetur. Cf. Eulogium Iohannis Cordubensis c.2 p. 262 Haring: »Hylarius quoque in libro decimo de Trinitate ait: (...) ‘Non fuit habitus ille tamen hominis sed ut hominis, neque caro illa caro peccati sed in similitudine carnis peccati.’ Hoc autem quod dicitur ‘non hominis’ ita accipiendum est “non peccatoris”, sicut ibi ‘Ego sum uermis et non homo’: ‘uermis’ quia sine uirili semine natus de Uirgine; ‘et non homo’, id est non peccator. Unde etiam hic explanando subditur ‘neque caro’ etc. (...) Hee et omnes huiusmodi auctoritates, ut asserunt, hoc docent quod Christus non sit aliquid secundum quod homo et quod assumens non sit aliquid quod assumptum est.”

**6685–92** Sensus: Simili modo locus ex epistula ad Philippenses 2.7 exponentius est. Vocabulo ‘habitu’ participatio humanae naturae indicatur, nam Christus, cum geminae fuerit substantiae, divina substantia *fuit*, humana (ut quilibet homo) *participavit* et “aliquis homo” fuit (quare in Psalmis se ‘pauperem’ dicit), sed non fuit humana natura (si enim et divina et humana natura fuisset, duo fuisset).

Cf. Expositionem Simonis Tornacensis in Symbolum Apost. § 59, p. 55 Haring: “Et attende quod Christus est diuina natura, non humana; sed humane, quia si concederemus Christum esse divinam et humanam naturam, concederemus Christum esse duo”; item § 78, p. 59: “Sed fides catholica est Christum ueram carnem assumpsisse de lumbis beate uirginis; et ita Christus apparuit in carne, non quomodo pater apparuit Moysi in rubo ardente uel spiritus sanctus in columba; sed sic Christus humanatus est quod participio humane nature uerus homo factus est.” – Ad v. 6687, v. Eulogium Iohannis Cordubensis, c.5 p. 268 Haring: “In Psalmis hec omnia leguntur de Christo: (...) ‘Ego autem mendicus sum et pauper’ (...) Si Christus non est aliquis homo, (...) quis est iste pauper?”

**6693–6710** Sensus: Cum ergo ‘habitus’ in Sacra Scriptura pro participatione humanae naturae sive pro humana natura a Christo participata ponatur, qui speciem humanam de Christo praedicari, cum ‘Iesus est homo’ diceretur, negarent errasse manifestum est. Quod Iohannes Damascenus “non est communem speciem accipere in domino nostro Iesu Christo”

dixit aut (6702–07) ita intellegendum est ut natura humana Christi hoc a natura hominis communis differat quod totum esse eius non dicat (qui enim praeter hominem deus sit); aut (6708–09) ita ut una natura communis e duabus Christi, velut species utriusque, oriri negetur.

Duae expositiones Damasceni a Praepositino in Summa 52rB distinguuntur: “Ad auctoritatem ‘non est communem speciem accipere’ i.e. non est communiter (?), quia in quolibet alio homine haec species ‘homo’ comprehendit omnia, eius divinitatem vero non. § Vel aliter dicas: Ipse non dicit ‘non est hanc speciem ‘hominem’’ sed ‘non est communem’, i.e. non est ex humanitate et divinitate una communis species, id est una communis natura, sicut ex anima et corpore vel carne unus est homo, et <quod> hic est sensus videtur posse haberri ex littera praecedente et subsequente.” Andreas duas expositiones quodammodo confundit, et hoc similis est Stephano Langton, in cuius Commentario in Sententias p. 105 Landgraf ad III d.2 c.1 haec dicuntur: “‘Communem speciem’. Huic fortissime innituntur sequaces [-aces *cod.*: -entes *ed.*] magistri” – sc. Lombardi – “qui tamen iam recesserunt ab aula. Nemo enim est qui nunc [nunc *cod.*: non *ed.*] audeat confiteri quod hoc nomen ‘homo’ non dicatur proprio de Christo sicut et de me; et hoc propter decretalem, que hoc affirmat et contrarium quasi hereticum dampnat. Dixit ergo magister occasione huius auctoritatis, quod hec species ‘homo’ non est communis Christo et Petro, id est quod hoc nomen ‘homo’ non predicator univoce de illis. Que tamen non est sic intelligenda, set sic: In puris hominibus species est totum esse sui individui. Totum enim esse hominis est ex coniunctione corporis et anime eius, ita quod ex illis duobus surgit tertium, differens ab utroque, compositum. Et hec est natura humana. In Christo autem non est ita. Esse enim Christi non est ex coniunctione corporis et anime eius, sicut et in puro homine surgit. Sunt enim in Christo due nature, set ex illis duabus naturis non est tertia natura, sicut in puro homine est ex corpore et anima una tertia natura ab utraque illarum. Quod autem ad hoc retorqueri debeat auctoritas Iohannis Damasceni diligenti [-i *cod.* & *ed.*: -er malim] intuenti litteram patebit. Hoc est enim, quod dicit: ‘Cum unam hominum naturam’ etc., id est cum unam omnium hominum attendimus naturam, non hoc facimus, quia una sit natura corporis et anime in homine, set quia ex coniunctione eorum surgit tertium, quod commune est omnium hominum. Set non sic est in Christo.” Cf. praeterea Eulogium Iohannis Cornubensis, c. 10 pp. 277–79 Haring.

**6711–12** Sensus: Christus iam ante incarnationem persona fuit; ideo in eo quod homo non est ‘quis’ (persona) sed tantum ‘quid’, i.e. substantia alicuius speciei. Ceteris hominibus species et ut personae et ut substantiae sint confert.

**6713–6717** Cf. locum ex Summa Godefredi supra (ad 6675–6775) alatum. (6714:) Cf. Tract. hom. ass. 488: “Ex hoc uerbo <sc. Augustini> uide-

bantur sibi habere quod humanitas Christi esset quasi uestis eius, et Christus sic esset homo, id est humanatus, sicut homo est uestitus.”

**6718–6725** Obiectio: Eorum opinione haec species “homo” de Christo non praedicatur, ergo nec genus hominis (animal) nec proprium eius (risibilis). Sed evangeliorum auctoritate eum quae homini ex corpore et anima composito propria sunt (ut loqui) fecisse constat. Quod isti dicunt eum haec “ratione animae carnisque simul, quamvis nihil ex eis constitutum esset” fecisse, absurdum est.

Cf. Apologiam §§ 50–51, pp. 130–131 Haring: “Si Christus non est aliquid constans ex corpore et anima, quaero quid fuerit in eo capax eorum, quae in Evangelio de eo dicuntur. Legitur enim quia jejunavit, comedit (...) Item, nonne perceptibilis erat disciplinae, vel risibilis? Si ista ei conveniunt, quomodo non erat id quod est homo? Sed si haec species homo non praedicatur de eo, quomodo ejus proprium potest ei convenire?” Martinus in Summa 108rA-B: “Isti dicunt hanc argumentationem esse falsam ‘Christus est homo, ergo est animal’; nam prout haec dictio ‘homo’ species est animalis significat substantiam, sed prout de Christo dicitur significat habitum. (...), *sequentia = P. Pict. PL 211: 1178B*) Item, difficilius opponitur istis de proprietatibus quae non conveniunt animae nec corpori nec deitati, sed composito ex anima et corpore, ut loqui. Opponitur ergo sic: aliquis loquitur mecum, in illo est scientia loquendi, illa scientia est creata, ergo aliquid loquitur quod est sciens scientia creata, illud est deus, ergo aliquid quod est sciens scientia creata est deus.” Eulogium Iohannis Cornub. c. 13 p. 284 Haring: “Quod autem Christus sit animal dicit Beda.”

**6726–6730** Alia obiectio: Ex positione eorum sequitur hoc nomen ‘homo’ aequivocum esse, ex quo sequitur ‘Christus est homo’ uno sensu veram esse, altero falsam. Cf. Commentarium Stephani Langton in Sententias, pp. 109–110 Landgraf: “Alii dicunt quod cum dicitur ‘Christus est homo’, hoc nomen ‘homo’ copulat habitum et ponitur equivoce de Petro et Christo.” Cf. etiam Tract. hom. ass. 489; Summam Martini 108vA.

**6731–6742** Sensus hic est: Regula theologorum est quicquid sacrae scripturae auctoritate nitatur semper concedendum esse, de reliquis diversa opinari sed nihil asserere licere. Isti vero sensum scripturae interpretatione pervertunt, quae suae opinioni contraria sunt tropice dicta esse asserentes; quae contra se sine scripturae auctoritate inducta vident, falsa esse, non disputabilia, quippe quibus scriptura tropice exposita contradicat, affirmare audent. Hoc modo contra illam regulam theologorum, tropum tolerandum non extendendum esse, peccant. Aiunt igitur evangelistam non ideo neutro genere usum de Christo locutum esse ut eum ‘aliquid’ esse indicaret, sed ‘natum’ pro ‘res nata’ – voce ‘res’ largo sensu sumpta – positum esse. Porro, sicut Christus neutro genere ‘natum’ proprie dici non possit, ita eum ‘rationale’, ‘corporeum’ et sim. neutro genere dicendum non esse.

Cf. Summam Martini 108rB (ex P. Pict. IV.10): “Dicunt enim isti quod nomina convenientia Christo secundum humanitatem in masculino genere ad hypostasim faciunt, in neutro referuntur ad essentiam. Et inde recipiunt hoc ‘Christus est passibilis, mortalis et huiusmodi’, sed non ‘est passibile’ nec ‘mortale’.” Praepositinus in Summa 52vA contra eosdem ita argumentatur: “Item, in Evangelio ‘quod in ea natum est, de spiritu sancto est’ et ‘illud, quod nasceret ex te sanctum, vocabitur filius dei’. Ergo aliquid [aliud *cod.*] natum fuit in ea quod erat de spiritu sancto et est filius dei, ergo substantia vel non substantia (...) Non potes dicere nisi substantia, ergo aliqua substantia est a spiritu sancto et est filius dei. Sed non est verum secundum eos, quia sola divina substantia est filius dei et non humana substantia. Si autem ipsi exponant neutrum in masculinum ‘quod in ea natum est’ = ‘qui in ea natus est’ etc., conclude: ergo aliquis natus est in ea qui est a spiritu sancto, ergo aliquis natus est qui habet esse a spiritu sancto, ergo illius est esse a spiritu sancto.”

Versus 6739–41 hoc modo legas: cum talia (i.e. ‘Christus est rationale’ et sim.) nusquam laudet scriptura, immo eorum iudicio (i.e. ut isti scripturam exponunt) contraria laudet, talia (Christum esse rationale et sim.) non formidant quasi falsa negare.

**6743–6750** Cf. Summam Martini 108rA: “Item Christus secundum quod homo est aliquid vel nihil. Si negas Christum secundum quod homo esse aliquid, incurris anathema Alexandrii tertii, qui in quadam decretali sub interminatione anathematis prohibuit ne aliquis negaret Christum secundum quod homo esse aliquid.” In Tract. hom. ass., p. 488–489, haec leguntur: “Papa Alexander IIIus precepit in quadam decretali, scilicet *Cum Christus etc.*, quod quilibet qui negauerit Christum esse aliquid secundum quod homo, excommunicetur. Ipsi autem negant hoc, nisi accipiatur hoc nomen aliquid pro alicuiusmodi.” Praepositinus in Summa, 51vB: “Isti dicunt quod Christus [quod] non secundum quod homo est aliquid, ut proprius accipiatur ‘aliquid’, sed secundum quod homo est alicuiusmodi: non enim praedicatur species, sed habitus, cum dicitur ‘Christus est homo’.” Literâ decretali *Cum Christus* anno 1177 scriptâ iteratum est anathema in decretali *Eis qui disponente* anni 1170 contentum. Collato Tractatu de homine assumpto, l.c., anathema ab Andrea memoratum ad annum 1177 referendum esse videtur.

**6751–6757** Argumentum hoc esse videtur: Istorum opinione (1) ‘Christus est homo’ = (1’) ‘Christus habet naturam humanam’; ergo (2) ‘deus est homo’ = (2’) ‘deus habet naturam humanam’; sed in (2’) verbo ‘habet’ divina essentia, non habitus, copuletur necesse est; ergo neque in (1) habitus praedicatur.

Cf. Apologiam §§ 53 & 56, pp. 132–133 Haring: “Concedunt nobiscum quia Christus est homo. Non enim cum mutatione intellectus audent

mutare et verba. Nos quidem sic intellegimus (...): Christus est homo, i.e. substantia creata constans ex corpore et anima. Ipsi sic exponunt: Christus est homo, i.e. habens hominem. (...) Quaero quid sit ille habitus qui praedicator de Verbo, cum dicitur ‘Deus est homo’ secundum istos. Habere enim animam et carnem praedicatur, ut dicunt. Est accidens vel substantia vel aliquid quod non est hoc vel illud? Respondeant. Non enim potest dici quod nihil, cum Christus eo sit similis aliis hominibus.” Cf. Eulogium Iohannis Cornub. c. 1 p. 260 Haring.

**6758–6761** Sensus hic est: Isti Christum partes habere negant. Quod auctoritate qua Christus totus descendisse dicitur refellitur. Nemo enim “totus” est quin partes habeat. Cum omnis pars aut subiectiva (ut homo respectu animalis) aut integralis (ut paries respectu domus) sit, partes vero Christi (qui universale non sit) subiectivae non sint, integrales esse necesse est, ex quibus aliquid constitui manifestum est.

Cf. P. Pict. IV.10, PL 211: 1176–1177, praesertim 1177B: “Ad hoc dicunt quod Christus non secundum quod est homo est substantia; nec est substantia composita, nec habet animam et corpus partes sui, licet eas sic assumperit ut in illis appareat visibilis qui prius erat invisibilis. Habet quidem caput et pedes et manus, non ut partes sui, sed corporis quod ipsius est. Illud enim corporis, cum sit quiddam compositum, partes habet; Christus autem cum non sit nisi simplex, partes non habet.” Praepositinus in Summa, 54rB: “(...) quod dicit Augustinus: ‘Christus totus fuit in caelo, totus in sepulchro, totus in inferno’. Si totus, ergo secundum quamlibet partem.”

**6762–6775** Summa argumentorum haec est: Anima Christi in corpus infusa est. Christus vita humana vixit et Christus vere mortuus est. Vita humana ex unione animae et corporis oritur, mors separatione eorundem advenit (Christum non alio modo mortuum esse, cum Verbum neque animam neque corpus umquam deposuisse constet, appetat). Ergo anima et corpus Christi unita erant ut viveret et aliquid ex eis velut ex partibus constitutum erat, quo dissoluto mortuus est.

Cf. Apologiam §§ 50–52 & 70, pp. 131–132 & 141 Haring. Ex § 50 haec excerptsimus: “Quid igitur mortis capax fuit: assumens an assumptum? Mortuus est homo ille. Numquid more solito sic expones: Homo ille, i.e. habens hominem mortuus est? Hic non licet procedere. Absit enim ut mortuum sit quod assumpsit, quia ‘fons vitae non aruit’. (...) Sed anima mori non potest. Ergo vel corpus vel aliquid constitutum ex anima et corpore mortuum. Sed corpus quod non est rationis capax numquam vixit vita humana. Quomodo ergo mortuum eo genere mortis quo homines moriuntur?” Sequentia sunt ex § 70: “Verbum a se animam non separavit. Ex quo enim Deus factus homo, animam non depositit. (...) Anima quoque sibi absentari non potuit. Ergo a carne separata est necessario. Sed quae fuit a carne separatio, nisi eam corpori sociaverit vitalis unio.”

Versus 6770–71 ita legas: “Qualiter ob corpus et animam, quamdiu sibi (i.e. corpus animae et anima corpori) sociata (i.e. coniuncta) manerent, vita creata (ablativo casu) vixisset.”

**6778–6886** de opinione qua Christus duo sit. Versibus 6778–6830 opinio describitur, 6831–86 refellitur.

**6778–6797** Cf. Quaestionem Stephani Langton de homine assumptionis, 323rA–B: “Christus est aliquid quod est pater, et aliquid quod non est pater, quia homo; ergo est unum et aliud, ergo duo.” Super hoc est triplex opinio: (...) Alia opinio concedit conclusionem, et dicit quod filius dei assumpsit illum hominem, et sicut divina essentia est filius dei, non tamen supponit essentiam, qua supposita supponitur filius dei, ita iste homo est filius dei, non tamen supposito isto homine supponitur filius dei. (...) Alia opinio *<eadem de qua supra>* dicit quod Christus est duo. Sumantur divina essentia, filius dei, iste homo: utrumque extremorum praedicetur de medio, sed neutrum de reliquo, et sicut supposita essentia non supponitur filius dei, ita nec supposito illo homine supponitur filius dei.” Videas quoque Tract. horn. ass. pp. 474 & 480: “Quidam a predictis sanctorum expositionibus declinantes, (...) dicunt quod Christus quidam homo fuit qui incepit esse ex tempore. Dicunt enim Deum assumpsisse quemdam hominem determinate de quo est ita loqui quod non de Verbo. Sed ille homo est eadem persona que Deus, nec sunt in Christo due persone sed sunt duo subiecta. Dicunt enim quod Christus est duo, due scilicet res, homo et diuinitas, sed non est nisi una persona. Vnde dicunt quod ille homo qui est Christus non fuit ab eterno sed persona que est Christus ab eterno fuit. (...) Vnde concedunt quod Christus est duo, sicut priores, scilicet homo ille assumptus et diuina natura. Et ita secundum eos, ista duo predicabilia, homo assumptus, diuina natura ponuntur de eodem, scilicet de Christo; neutrum tamen de alio, quia nec diuina natura est ille homo, nec e conuerso.”

**6798–6819** (6798–6809.) Sensus talis est: Nomina essentialia substantive sumpta de homine assumpto vere dici possunt; huic enim termino ‘homo assumptus’ iuncta ita restringuntur ut pro solo filio dei personaliter supponant. Adiective vero sumpta non restringuntur neque de homine assumpto dici possunt. Verae sunt igitur ‘assumptus homo est deus’ ‘assumptus homo est summus (substantive)’ = ‘assumptus homo est filius dei, qui est deus/summus’. Vera etiam est ‘assumptus homo est genitus patris’ = ‘ass. homo est filius dei’. Falsae autem sunt ‘ass. homo est summus (adiective)’ = ‘ass. homo est divinae essentiae’ et ‘ass. homo est genitus patre’. (6807–12:) Obiectio cum sua refutatione. Obiectio talis est: “(1) Assumptus homo est deus; (2) assumpitus homo non est pater; (3) ipse, qui pater est, non est deus”. Qui Christum esse duo dicunt, hanc obiectiōnem ideo non valere contendunt quod ‘deus’ in (1) ad filium dei supponendum restringatur, non autem in (3). – Argumentum propter multiplicem ambigu-

tatem locutionis ‘ipse qui pater est’ in (3) positae obscurum est. Collatis vv. 889–90, ut locutionem ‘ipse, qui pater est’ pro ‘pater’/‘persona patris’ positam esse dicam animus inclinat. (6813–19:) Sensus hic esse videtur: Hanc (a) ‘unus solus homo, genitus de patre, fuit assumptus’ ideo negant quod ‘homo’ pro filio aeterno supponat, qui assumptus non sit. Nihilominus (b) ‘filius dei est assumptus homo’ concedunt, ex (a) negata et (b) eundem assumptum et non assumptum inferri negantes, nec eundem “una”, i.e. simul, compositum et simplicem esse. Cf. locum ex Summa Godefridi ad 6831–50 allatum. Idem Godefridus 115rA: “Item ‘hominem assumptum genuit mater et illum non genuit pater’. Sed haec est duplex ‘homo assumptus est filius matris et non est filius patris’: si haec dictio ‘filius’ teneatur adiective, vera est ‘non est filius patris’; si substantive, falsa, immo est verissimus filius patris.”

**6820–6822** Vide ad 6831–51.

**6823–6830** Sensus: Concedunt ‘filius dei assumpsit istud compositum’ et ‘istud compositum est persona’. Sed ex his praemissis ut filius personam assumpserit effici negant. (6827–30:) Cf. Tract. horn. ass. p. 485: “sicut legitur Hylarius dixisse quod absorta fuit persona humana a diuina.” Auctor Apologiae § 28, p. 121 Haring: “Unde scriptum est: ‘Natura naturam non consumit sed persona personam.’” Praepositinus 53rA: Concilium dicit: persona personam assumpsit [*sic!*: consumit *scriendum est*], non natura naturam, quia natura nomen est, generis, persona nomen iuris. (...) Inde est quod dicit concilium ‘persona personam consumit etc.’, i.e. non potest esse quod aliqua res in alicuius personae constitutione sit vel suo maiori uniatur et habeat nomen personae, sed potest esse quod natura naturae coniungatur et utraque retinet nomen naturae, quia natura nomen est generis, i.e. designat rem in suo genere consideratam, ita quod eius dignitatem non ostendit.”

**6831–6886** Objectiones contra eos qui Christum esse duo contenderant.

**6831–6850** Sensus hic est: Isti quaedam de filio aeterno quae non de filio hominis dicantur (& vice versa) dici asserunt; quia vero ‘filius dei’ utrique conveniat, ‘filius dei crucifixus est’ similiaque dici. Quibusdam eorum hoc genus loquendi tropum esse placet quo quae filii virginis sint filio dei attribuantur. Sed simili ratione propositio ‘filius dei est assumptus’ concedenda videtur, fortiorique ratione adiectiva deitatis (‘omnipotens’ &c.) filio virginis attribuentur.

Cf. Summam Godefridi 114vA: “Item quidam termini sunt qui supponunt filium hominis et non filium dei, ut ‘iste homo’ ‘iste puer’ et consimiles. Quidam sunt qui supponunt filium dei, sc. ipsam personam et non filium hominis, ut isti ‘filius dei’ ‘verbum’ ‘sapientia patris’. Unde quaedam praedicantur de filio dei quae non de filio hominis, ut creare et similia. Unde haec falsa proprie accepta ‘iste puer creavit stellas’, sed quia invenitur

in auctoritate ‘puer qui creavit stellas’, dicimus quod attribuitur filio hominis quod est filii dei, quia filius hominis est filius dei. De filio hominis et non de filio dei ut ista: ‘incepit’ ‘natus’ et consimilia. Unde huiusmodi propositiones sunt duplices ‘filius dei est natus’: si teneatur haec dictio ‘natus’ substantive, simpliciter vera; si adjective, proprie intellecta falsa, sed improprie [-a *cod.*] recipitur vera, quia filio dei attribuitur quod est filii hominis, qui ipse est. Item cum de filio hominis praedicatur aliquid aeternum, falsa est propositio proprie sumpta, ut ‘iste puer est aeternus’ vel ‘iste puer est genitus a patre’ – hoc dico si termini teneantur adjective; quia si substantive, utraque vera.” Stephanus Langton in Quaestionibus, 323vA: “Item tropice secundum illos dicitur ‘filius dei est passus’ quia ille homo qui est filius dei est passus. Quare similiter non dicitur ‘assumptus?’” Tract. hom. ass. p. 476: “Item. Ex quo diuinitas et humanitas unite sunt, quare potius predicantur de illa persona adiectua humanitatis quam adiectua diuinitatis de illo homine cum potius uidetur debere fieri e conuerso? Quare non conceditur ista: ‘Iste homo fuit ab eterno, redemit nos, creauit nos’, sicut e contra conceditur: ‘Deus passus est, mortuus est, cesus est’, et similia?”

**6851–6854** Cf. Tract. hom. ass. p. 479: “Item. Secundum eos falsa est ista auctoritas: ‘Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo’, quia nullo modo ille homo fuit equalis Deo, ergo rapina es- set si arbitrabatur se esse equalem deo.”

**6855–6856** Cf. Tract. hom. ass. p. 475: “Item. Secundum eos nulla est difficultas in hac auctoritate: ‘propter quod donauit illi nomen quod est super omne nomen,’ quia illi homini qui incepit esse ex tempore ‘dedit Dominus nomen quod est super omne nomen’, et propter merita sua bona. Quare ergo tantum laborauerunt sancti in expositione illius auctoritatis?”

**6857–6865** Cf. tract. hom. ass. pp. 477 & 480: “Item. Esto quod dicat ille homo: ‘Ego incepi esse’, uerum dicit secundum eos. Sed possetne ille homo loqui et demonstrare Verbum per hoc pronomen ‘ego’? Quod uidetur, cum ipse homo sit Deus, et ille homo loquens de Verbo dixit: ‘Antequam Abraham esset, ego sum’, et ita hoc pronomen ‘ego’ non significaret suum prolatorem quia ille homo est eius prolator, quod est contra naturam artis et locutionis. (...) Item. Nota quod ipsi dicunt quod semper cum Christus loquebatur, loquebatur ille homo assumptus, siue fieret sermo de persona, siue de homine assumpto, et ita ille homo loquebatur in persona Dei. Cum ergo ille homo esset illa persona et loqueretur in illa persona, uidetur quod loqueretur quasi homo in larua, uel spiritus immundus in corpore obsesso, quod nefas est dicere.”

**6866–6868** Cf. Tract. hom. ass. pp. 476sq.: “Item. Secundum eos ille homo potest loqui ita quod non loquatur Deus et e conuerso. Vnde potuit ille homo uere dicere: ‘Ego non fui antequam Abraham esset, ego non redemi uos’, et ita si audiremus eum loquentem nesciremus an uerum diceret an

falsum; quia si ille homo diceret: ‘ego creaui stellas’ mentiretur, si Verbum assumens hoc diceret, uerum esset.”

**6869–6870** Cf. Tract. hom. Ass. pp. 480–481: “Item. Secundum eos utraque istarum est uera: ‘Iste homo est assumptus a Verbo’, ‘Iste homo non est assumptus a Verbo’, quia si demonstretur persona, iste homo non est assumptus a Verbo. Si demonstretur iste homo, iste homo est assumptus a Verbo. Eadem ratione, debent concedere istas: ‘Iesus est assumptus a Verbo’, ‘Iesus non est assumptus a Verbo’, ut hinc supponatur homo, illinc persona. Immo debent hanc concedere: ‘Iesus assumpsit Iesum’. Quod inconueniens est, cum non sit equiuocatio in hoc nomine Iesus, eo quod non habet nisi unam institutionem.”

**6871–6875** Refutatio argumenti quo hominem assumptum fuisse probabatur. Argumentum apud Praepositum in Summa 50vB legitur: “Item possibile fuit eum separare carnem et animam ita sibi unita sicut modo sunt. Ponamus: haec anima et haec caro ita unita ut modo sunt prius fuerunt, ergo iste homo prius fuit, ergo deus vel aliud. Aliud non, ergo deus. Et iste homo fuit unitus deo, ergo aliquis homo erat assumptus, et ille erat deus.” Refutatio apud eundem 51rA: “Quod ponit quod anima et caro ita unitae separantur a verbo, dicitur quod positio est impossibilis; et si recipiatur, respondeatur quod homo iste non prius fuit, quia anima et caro prius aliam personam fecerunt esse hominem et aliam modo. Nam prius personam filii dei fecerunt esse hominem, nunc personam hominis faciunt esse hominem, et haec personae numquam fuit persona sibi nota; sed nec aliud, unde persona haec numquam prius fuit aliquid, ergo modo incipit esse.”

**6876–6879** Cf. Tract. hom. ass. p. 483: “Item. Secundum eos in illo triduo Christus desiit esse, quia ille homo assumptus post dissolutionem corporis et anime non fuit. Secundum hoc, tunc uerum erat dicere: ‘Christus non est homo qui ipse fuit’.”

**6880–6886** Cf. Tract. hom. ass. p. 482: “Item. Super illum locum euangelii: ‘Nemo ascendit in celum nisi qui de celo descendit’, dicit auctoritas: ‘Solus descendit sed non solus ascendit, quia Christus caput solus descendit, sed ascendit integer cum membris.’ Quero ergo de illo homine assumpto utrum ascenderit uel descenderit. Si descendit, ergo homo assumptus fuit ab eterno, quod ipsi negant. Si ille tantum ascendit, ergo est membrum Christi. Sed idem est caput. Ergo idem homo est membrum capitatis quod ipse est, quod est inconueniens.”

**6887–94** Hic elementa tertiae et verae opinionis traduntur, quae sunt: (1) Christus est unum, (2) Christus incepit esse verus homo ex anima et corpore constans. Primo elemento haec tercia opinio a secunda, altero a prima differt. Andreas, ut assolet, in praecipuis doctrinam Stephani Langton sequitur, qui in Quaest. 323rA tertiam sententiam sic introducit: “Tertiae opinionis veritas habet quod ...”. Cf. Tract. hom. ass. p. 490: “Tertia opinio pro-

babilior uidetur esse.” (6893–94:) Symbolum Apostolorum laudatur, “qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine”, id quod Andreeae occasionem praebet ut de conceptione Christi tractet.

**6895–6901** Hic incipiunt quaestiones de incarnatione. Prima igitur quaestio est cur Christus filius Spiritus Sancti non dicatur, cum ex eo conceptus sive natus (ut in Symboli forma antiquiore habetur) sit. Eadem quaestio a Simone Tornacensi, Exp. Symb. Apost. § 88 p. 95 Haring, et a Martino in Summa 105vB movetur, necnon a P. Lombardo Sent. III d.4 c.2 (12). Andreas vestigia Augustini a P. Lomb. l.c. citati premens exemplis demonstrat consequentiam ‘x est natus de y, ergo x est filius eius (= y)’ non valere, nec eius conversam.

**6902–13** De ea quaestione quam P. Lomb. Sent. III d.4 c.1 (11) movet, quare opus incarnationis Spiritui Sancto attribuatur.

**6914–20** Petrus Lombardus, Sent. III d.4 c.3 (13) “quare Apostolus dicat Christum factum, cum nos fateamur eum esse natum” et “quare ex semine David” quaerit. Andreas Lombardi vestigia persequitur.

**6921–25** Quaestio satis nodosa his quinque versibus expeditur. Dictum est Christum fuisse de semine David, hoc est ex carne Mariae et ita secundum ordinem ex carne David, Abrahae, Adae. Sed si omnem carnem a quopiam illorum descendenter peccatricem esse demonstrari possit, cum Christus peccator non fuerit, ne fuerit verus filius Mariae neve de semine David effici posse videatur. Omnem progeniem Abrahae carnem corruptam habere sic probatur: Secundum Genesim 14.20 Abraham regi Melchisedech decimas solvit, et, ut ait Stephanus Langton in Comm. Sent. p. 107 Landgraf, “decimatio solutio est pro peccato”; Paulus vero in ep. ad Hebreos 7.9–10 etiam Levi, quoniam adhuc in lumbis patris esset quando obviaret ei Melchisedech, decimatum esse dicit; patet ergo omnem progeniem Abrahae in eo pro peccato decimas solvisse. – Andreas Petrum Lombardum, Sent. 3 d.3 c.3 (9), et mediante Lombardo Augustinum secutus nondum hoc modo resolvit: Carni eius qui sine libidine concipientis conceptus sit, contagio non adhaeret; ergo Christus nec in Adam peccavit licet “omnes” in eo peccaverint (Ep. Rom. 5.12), nec in Abraham cum ceteris hominibus pro peccato decimas solvit.

Stephanus Langton 273vB quaestionem de Levi decimato habet; Martinus in Summa 105rB; P. Pict. IV.7, PL 211: 1164.

**6926–37** Sensus hic est: (a) Maria iam ante conceptionem Christi a culpa originali mundata erat, in conceptione etiam a fomite mundata est. (b) Illud Mariae “Quomodo fiet istud?” non ita intelligendum est quasi non crediderit incarnationem (NB 6297 “credens”). (c) Simulatque Maria verbis “Ecce ancilla Domini etc.” suum consensum manifestavit, effecta sunt: secunda mundatio Mariae, formatio corporis Christi, creatio et infusio animae, unio naturarum.

Ad (a), cf. P. Pict. IV.7: “Sed objicitur: Sed Filius Dei elegit eam mundam; erat enim munda quando fuit electa; aliter enim ejus nativitas non esset celebrata, nisi in utero esset sanctificata. (...) superflua fuit illa secunda mundatio. – Ad hoc dicimus quod prius illa mundata fuit in utero, ut esset sine peccato, potens tamen peccare; in conceptione vero Christi ita ut penitus peccare non posset.” Similia apud Martinum in Summa 105vA. Ad (b) cf. Martinum 105vB: “Beata virgo quaequivit de modo incarnationis dicens ‘Quomodo fiet istud? etc.’ (...) nec erat certa illius unionis, ergo sic quaerens non credebat quod sibi dicebatur ab angelo, ergo tunc non habebat fidem incarnationis. § Solutio: cum beata virgo dixit ‘Quomodo fiet istud? etc.’, potius hoc dixit admirando quam dubitando; vel potius de modo conceptionis sive nativitatis dubitavit virgo – hoc autem ei licuit.” Ad (c) cf. P. Lombardi Sent. III d.2 c.3: “Quod Verbum simul assumpsit animam et carnem, neque caro prius est concepta quam assumpta” et quae sequuntur. Idem Lombardus III d.3 c.1 (7) de carne virginis mundata (a, supra) loquitur.

**6938–50** De anima inter Verbum et carnem mediante videsis P. Lomb. Sent. III d.2 c.2 (5). De interpretatione dicti Iohannis Baptistae, “Non sum dignus procumbens solvere corrigiam calciamentorum eius”, v. eundem Lombardum ibid. (‘solvere’ = ‘explicare’ intelligit Lombardus). Cf. Stephani Langton Quaest. 257vB: “Non sum dignus solvere corrigiam calciamenti eius’, i.e. unionem divinitatis ad humanitatem, quia per calciamentum intelligitur humanitas.”

6950 hoc modo intelligo: Iohannem de unione animae cum corpore non esse locutum planum est; ea enim unio nihil inconsueti habuit quo inexplicabilis esset.

**6951–58** Contra secundam opinionem, iam superius reprobatam, Christus hominem qui ex anima et corpore compositus esset assumpsisse negatur. Argumentum 6954sqq. contentum hoc est: (1) ‘assumens est assumptum’ semper falsa est; (2) ‘filius dei corpus assumpsit’ vera est; (3) ‘filius dei est homo’ vera est; ex (1 + 2) sequitur ‘filius assumens est corpus assumptum’ falsam esse; ex (1 + 3) sequitur ‘filius assumens est homo assumptus’ falsam esse; consequentia quae est ‘componentia assumpsit, ergo totum ex eis compositum assumpsit’ non valet, quia eadem ratione sequeretur ‘lapides portavit, ergo acervum ex eis factum portavit’, id quod manifeste falsum est.

Cf. Summam Godefridi 115vB: “Tertia opinio dicit quod filius dei nullum hominem assumpsit, sed humanam naturam, sc. corpus et animam. Et sicut dicit auctoritas Ad Romanos, Christus ex tribus et in tribus substantiis consistit, deitate videlicet et corpore et anima, quae simul sunt unita; non tamen intelligas quod integraliter constitutus Christus ex illis tribus – non enim deitas est pars integralis Christi, immo Christus est deitas – sed potest dici pars exigativa quia exigitur ad hoc quod Christus sit; dicitur tamen ex

istis tribus consistere quia ista tria unita sunt in unione personae, sed constituit integraliter ex corpore et anima, et est compositum ex corpore et anima, et per hunc terminum ‘hoc compositum’ supponitur filius dei, qui simplex est secundum divinitatem. § Item nullum assumens est suum assumptum, cum assumere sit aliud ad se sumere. Unde, cum Christus assumperit corpus et animam, neutrum illorum est nec illa, sed compositum ex illis.” Martinus in sua Summa 107vB: “Alii dicunt quod homo assumptus non est filius dei, quia, ut dicunt regulam Aristotelis proponentes, nec assumens est assumptum nec assumptum est assumens.” Alanus ab Insulis in Regulis Caelestis Iuris, p. 205 Häring, CI<sup>am</sup> regulam ponit “Sicut pars non potest esse totum vel constituens constitutum, ita assumens non potest esse assumptum.”

**6959–65** Hic Andreas auctoritatibus Hieronymi et Ambrosii suam positionem munit. Ille ‘Verbum est deus, non caro assumpta’ dixit, hic ‘Aliud est quod assumpsit et aliud quod assumptum est’ (cf. Sent. Lombardi III d.7 c.1 (23) n.12). Ne illud Iohannis evangelistae “Verbum caro factum est” contra se inducatur, Andreas vocem ‘caro’ ab evangelista pro ‘homo’ positam esse docet.

Cf. Summam Martini 107vA: “Item Hieronymus: Verbum tantum est Verbum et non caro. Et caro tantum est caro et non Verbum. Nominis carnis intelligitur homo, unde Iohannes ‘Verbum caro factum est’, i.e. homo. Ergo Verbum tantum est Verbum et non homo. § Solutio: Hieronymus accepit hoc nomen ‘caro’ in designatione partis, Iohannes in designatione totius.” Cf. praeterea Apologiam § 23 p. 125 Haring.

**6966–70** Praepositinus in Summa 50vB eos qui secundae opinionis sint ita argumentari dicit: “Item Augustinus: ‘tanta fuit illa susceptio ut deum faceret hominem et hominem deum’: ergo homo aliquis assumptus factus est deus.” Responsio eorum qui cum Andrea sentiunt apud eundem 51vB legitur: “Auctoritatem ergo sic determina: ‘tanta fuit etc.’ i.e. tanta fuit illa susceptio quod faceret utrumque istorum esse verum ‘deum esse [et] hominem’ et ‘hominem <esse> deum’. Propter hoc tamen non est dandum ‘homo factus est deus’, licet sit dandum ‘deus factus est homo’. Verbi gratia: utrumque istorum hodie incepit esse verum ‘hunc hominem <esse> militem’ et ‘militem esse hunc hominem’ <quia> iste homo factus est hodie miles, et tamen nullus miles factus est hodie [h.: homo hodie cod. a.c.; errore scribae utraque vox expuncta est] iste homo.” Simon Tornacensis in Institutionibus 34rB: “Cum dicitur illa susceptio deum fecisse hominem et hominem deum, sic accipendum est ut illa susceptione factum sit <ut> vere posse<t> dici conversim ‘deus est homo et homo est deus’, non tamen homo factus est deus, sed deus factus est homo.”

**6971–74** Eadem doctrina a Martino in Summa 111vB explicatur: “Cum ergo secundum eos Christus nihil sit quod ab aeterno non fuit, et ipse

sit quoddam compositum ex anima et carne, illud compositum ab aeterno fuit; sed non fuit ab aeterno compositum, immo coepit esse compositum quando fuit incarnatus. § Contra sic: hoc compositum sufficienter constat ex anima et carne; caro et anima componentes hoc compositum inceperunt esse; ergo hoc compositum incepit esse. § Ad hoc dicunt quod sicut hoc album sufficienter est album albedine, et albedo incipit esse, non tamen hoc album incipit esse, quoniam hoc album prius fuit quam esset album, – ita hoc compositum sufficienter constat ex anima et carne, *<et>* anima et caro componentes hoc compositum inceperunt esse, non tamen hoc compositum incepit esse, quia hoc compositum prius fuit quam esset compositum.”

**6975–93** Hic Andreas docet quo sensu Christus ex duabus naturis vel substantiis (deitate, humanitate) compositus esse dicatur et quo sensu ex tribus substantiis (deitate, corpore, anima). Eorum quibuscum Andreas sentit opinio a P. Lombardo in Sent. III d.6 c.3 (19) delineatur, a Praepositino in Summa 51rA et a Godefrido in Summa 115vB (cuius verba ad 6951–58 annotavimus).

Quaestiones “utrum Christus sit persona composita” apud Praepositum et Martinum extant. Praepositinus, Summa 35vA–B: “Item quaeritur an Christus sit composita persona ex divinitate et humanitate. § Quod sic probatur: Augustinus: ‘Persona quae prius erat simplex et in una tantum natura existens, in duabus et ex duabus subsistit naturis’, ergo illa persona est composita. Item Iohannes Damascenus: ‘In domino nostro Iesu Christo duas quidem naturas cognoscimus unam autem hypostasim ex utri[u]lsque compositam.’ Item Augustinus: ‘(...) Christi persona constat et conficitur ex deo et homine’, ergo illa persona composita est ex divinitate et humanitate. § Contra: Illa persona composita est ex divinitate et humanitate, ergo divinitas est pars Christi, ergo ipsa non est illa, quia nullum totum est pars sui. Et Augustinus ait quod non est dicendum quod divinitas sit pars Christi, alioquin aliquid accepisset Christus ex assumptione humanae naturae nec ipse prius fuisse plenus et perfectus. § Solutio: non est danda ‘illa persona [non] est composita’ i.e. ex divinitate et humanitate, sed tantum ex carne et anima. Et illae omnes auctoritates sic intelligendae sunt: ‘illa persona composita est’ ie. in ea vere duae naturae sunt in qua prius non erat nisi una, et ‘illa persona constat ex divinitate’ i.e. divinitate est aliquid.” Martinus in Summa 109rA: “Item quaeritur, cum persona simul et animam et corpus assumpserit et coniunxerit, an sit ex eis composita. § Quod videtur (... sequuntur auctoritates). § Solutio: Christus compositus est tantum ex anima et carne, nec divinitas est de compositione illius ut pars. Cum enim Christus sit ipsa divinitas, non est eius pars.”

**6981** “protheseos paralauge” = προθέσεως παραλλαγή. Alexander de Villa Dei in Doctrinali 2573–4: “Alterius vox una tenens vim praepositiua, ut ‘supra’ pro ‘de’, fit protheseos paralange.” Utrum Andreas ‘para-

lauge' an 'paralange' scripserit nescimus; id constat, codicem Roskildensem 'paralauge' praebere. 6982 Cf. Stephani Langton Comm. Sent. p. 111 Landgraf: "Composita vero ex duabas naturis", exigitive, id est due nature inveniuntur in Christo."

**6994–7018** Summa dictorum haec est: In incarnatione, humana natura ita divinae accessit ut divina immutata maneret. Ergo pro regula habendum est, in propositionibus huius formae 'divina essentia est x', pro 'x' adiectiva ad creaturam spectantia ('humana', 'crucifix' etc.) poni non posse. Regula tamen non obstat quin propositiones 'divina essentia est incarnata' 'd. e. est humanata' recipiantur, quippe quibus id tantum indicetur humanam naturam divinae accessisse. Item, cum regula 'creator est factus' dici vetet, non obstat quin 'creator est factus creature' dicatur; non enim sequitur 'est factus creature, ergo est factus'. Praeterea, cum regula 'humana' 'visibilis' similiaque pro 'x' poni vetet, non tamen obstat quin nomina eiusdem significationis, sed substantiae sumpta, pro 'x' ponantur, ut sunt 'homo' 'visibile'; talibus enim positis, filius dei supponitur et eius cum divina essentia identitas asseritur, sed proprietas substantivo significata essentiae non attribuitur.

**6999–7000** "secundum quam" = secundum divinam essentiam. Quaerebatur enim a theologis utrum Christus secundum divinam an secundum humanam naturam assumpsisset carnem.

Eisdem de rebus disputant: Petrus Pict., Sent. IV.9; Stephanus Langton, Comm. Sent. p. 108 Landgraf; et in suis Summis Praepositinus 53rA-vA, Martinus 106rA–107rA, Godefridus 118rB–119rB. Auctoritates huc pertinentes in Sententiis P. Lombardi III d.6 cc.5–6 (21–2) videre licet. Ex Summa Praepositini hos titulos quaestionum excerptsimus: "An divina essentia sit homo", "An divina natura sit nata", "An quicquid dicitur de dei filio dicatur de deo secundum divinam naturam vel secundum humanam."

**7019–30** Ut ait Stephanus Langton in Quaest. 323rA, "Secundum hanc opinionem" – eam sc., cui Andreas favet – "haec falsa proprie 'assumpsit hominem', sed ita accipienda: id est animam et corpus, vel humanam naturam. Si enim concederet quod proprie vera, haberetur quod persona assumpsit personam, et ita haberemus quaternarium in trinitate." Auctores 'homo' pro 'humana natura' ponere solitos esse Andreas illo Augustini 'Quia forma Dei formam servi accepit, utrumque Deus, utrumque homo' probat.

**7031–37** Cf. Martinum in Summa 108vB: "Item, alii dicunt quod Christus est unum et aliud, non tamen duo, sed unum est et aliud, i.e. unius et alterius naturae." Stephanus Langton in Quaest. 323rA: "Christus est aliquid quod est pater et aliquid quod non est pater, quia homo; ergo est unum et aliud, ergo duo. (...) Haec opinio" – ea sc., cui Andreas adhaeret – "dicit quod prima argumentatio non valet." Godefridus in Summa 116rB:

“Dicimus quod haec est vera ‘Christus est aliquid quod non est pater’ et haec similiter ‘est aliquid quod est pater’, sed non sequitur ‘ergo est duo’. Instantia: ‘aliquid quod supponitur a Socrate supponitur a Platone, et aliquid supponitur a Socrate quod non a Platone, ergo duo supponuntur a Socrate’, quod falsum est posito quod Socrates et Plato dicant ‘Socrates est’ et praeterea Socrates dicat ‘animal est’.”

Versus 7035–37 mihi obscuri videntur, nisi forte hic est sensus: De tempore praesenti licet dicere ‘tempus praesens est nox’ et ‘t. p. est mensis’, non tamen inde efficitur duo esse tempora praesentia. – Cf. Summam Godefredi 2vB: “Cum dicitur ‘deus est misericordia et veritas’, coniunctio tenetur copulative, et exigit diversitatem suppositorum. Unde, cum non inveniat, locutio est incongrua, sicut haec ‘tempus et tempus sunt’; haec autem congrua ‘et tempus et tempus est’, quia et dies et mensis est, sed haec est incongrua ‘dies et mensis sunt’.”

**7038–41** Cf. Tract. hom. ass. p. 493.

**7042–47** Cf. Tract. hom. ass. p. 491–2: “Tertia opinio probabilior uidetur esse. Dicunt enim quod Christus est aliquid secundum quod homo, et in eadem significatione ponitur hoc nomen ‘homo’ de Christo et de Petro, sed non est ostendere quid sit Christus secundum quod est homo; non est descendendum ad statum singularem, sicut etiam nec in aliis hominibus. Unde non concedo quod ‘Socrates est iste homo’ uel ‘hoc aliquid secundum quod homo’, quia nec etiam humanitate est iste homo, immo socracitate est iste homo. Cum ergo dico ‘Christus est humanitate homo’, non potest queri quis homo, sicut nec de Socrate. Pari ratione, cum dico ‘Christus est aliquid secundum quod est homo’, non debet queri quid, nec est descendendum ad inferiora. Hec tamen uera est ‘Christus est homo secundum quod homo’, ‘Christus est animal secundum quod homo, et substantia’ et ita de omnibus superioribus.” Martinus in Summa 109rB sit ait: “Responsio. Christus secundum quod homo est aliquid, nec tamen sec quod homo est hoc vel aliud vel aliquid quod est hoc vel non est. Non est descendere in huiusmodi, sicut Petrus humanitate est homo, nec humanitate est hic homo vel alias homo, et istud albedine est album, nec tamen albedine est hoc album vel aliud album.” Similia apud Praepositum in Summa 52rA et in Summa Godefredi 117rA leguntur.

**7048–50** Hic breviter absolvitur quaestio “utrum Christus secundum quod homo sit persona”, de qua videsis P. Lomb. Sent. III d.10 c.1 (29), Praepositini Summam 53rA, Godefredi 121vB. Eadem quaestio a Stephano Langton 189rB tractatur, unde haec: “Dicimus quod Christus non est persona secundum quod homo. (...) dicimus quod revera aliquot sola concurrunt ad hoc quod iste purus homo sit persona, quae non concurrunt in Christo, vel eadem in specie concurrunt, non tamen penitus eodem modo. Ad hoc enim quod iste homo purus sit persona exigitur quod anima sit corpori

unita mediante rationalitate, et ista concurrunt in Christo. Praeterea in isto puro homine exigitur excellentia sive quod rationalitas sit in eo excellenter, ita sc. quod in eodem nulla sit excellentior natura (et ideo diximus quod ‘persona’ nomen est iuris sive dignitatis et non servitutis); sed ista excellentia non est in Christo homine, nec rationalitas creata est in eo praedicto modo excellenter. Ex hoc patet quod hoc nomen ‘persona’ in illa speciali significazione in qua dicitur tantum de personis creatis non dicitur de Christo, quia connotat quandam excellentiam quae non convenit Christo secundum quod est homo, sive, ut ita dicam, habet intellectum articuli notantis excellentiam et excludentis superioritatem sive maiorem dignitatem ab eadem persona.”

7049–50 “descriptio personae”: Boethiana sc., ‘persona est rationalis naturae individua substantia’. “uis discernendi” = rationalitas; cf. v. 1061.

7051–56 Andreas duos modos proponit quibus huic argumento ‘Christus est deus et homo, ergo est duo’ resisti possit. Aut ergo dicendum ‘deus et homo’ improprie pro ‘et deus et homo’ positum esse; aut nomina ‘deus’ et ‘homo’ adiective posita esse. Martinus in Summa 108rV-vA de eodem problemate sic disputat: “Item, cum dicitur ‘Christus est deus et homo’, dicunt isti” – ii sc. contra quos Andreas in principio huius libri disputavit – “quod hoc nomen ‘homo’ ibi praedicat habitum et non substantiam. § Sed contra hoc opponitur sic: ‘Christus est deus et homo’ – isti duo termini ‘deus’ et ‘homo’ hic ponuntur substantive vel non. Si substantive, et ipsi copulantur per copulativam coniunctionem semel interpositam, ergo pertinent ad diversa, secundum hanc regulam grammaticorum ‘Quotiens duo substantiva copulantur per copulativam coniunctionem semel interpositam, ipsa pertinent ad diversa.’ Si non ponuntur substantive, cum manifestum sit hoc nomen ‘deus’ ibi poni substantive, ergo hoc nomen ‘homo’ ibi ponitur adiective; ipsum copulatur per copulativam coniunctionem illi substantivo, ergo illa constructio secundum hanc regulam est incongrua ‘Copulativa coniunctio numquam recte copulat substantivum adiectivo et econverso, habet enim copulare similia;’ nemo enim dicit analogice ‘iste homo est et grammaticus’ sed ‘homo grammaticus’. Eadem ratione videtur dicendum ‘Christus est deus homo’, i.e. humanatus deus, ut teneatur hoc nomen ‘homo’ adiective. § Responsio. Cum dicitur, ut dicunt quidam, ‘Christus est deus <et> homo’, utrumque istorum nominum adiective poni<tur>, ut sit sensus ‘Christus est deus et homo’ i.e. divinae et humanae naturae.” Auctor opusculi de homine assumpto quod in cod. Paris. lat. 3477 invenitur, f.3rB: “Item, Christus est deus et homo, ergo diversa supposita. Hoc enim exigit copulativa coniunctio, quae semper vult copulare ratione diversorum suppositorum, ex quo coniungit terminos supponentes. Unde haec est falsa ‘Socrates est grammaticum et musicum’. Item, Christus est deus et homo, ergo deus et homo sunt Christus, et ita plura sunt Christus. (...) § Solutio.

Quidam dicunt quod haec est duplex ‘Christus est deus et homo’: si coniunctio tenetur copulative, falsa est; si aggregative, vera. – Alter potest dici, sc. quod vera est si coniunctio teneatur copulative, sed tunc est duplex ex aequivocatione, quia isti duo termini ‘homo’ et ‘deus’ cum sint substantiva, possunt teneri substantiva, et sic est falsa; vel adiective, et sic vera. Et est simile: ‘haec vox est genus et species’. Ex hoc patet quod haec argumentatio non valet ‘Christus est deus et homo, ergo deus et homo sunt Christus’. In prima enim bene tenentur adiective illa substantiva, cum ponantur in praedicato, qui locus est formae et deputatur proprie dictionibus adiectivis vel adiective retentis, et in tali loco bene cedit suppositum formae. In conclusione tenentur illa substantiva substantive et suppositive, cum ponantur in subiecto, qui locus est proprius suppositioni, et ibi cedit forma supposito.” Stephanus Langton in Quaest. 218rB: “Item notandum quod haec locutio ‘Christus est deus et homo’ proprie intellecta est falsa, quia termini copulati supponunt pro eodem; sed recipitur sub hoc sensu: ‘Christus est deus et homo’ i.e. divinae et humanae naturae.” Cf. praeterea P. Pict. IV.10, PL 211: 1180; Summam Praepositini 52vB.

**7057–7233** Hic quaestiones de personali identitate Christi tractantur, quae cum principaliter circa vim pronominum ‘aliquis’ ‘aliquid’ ‘iste/ille’ de Christo ante et post incarnationem dictorum versentur, secundario ut de vi enuntiabilium ‘illud esse’ ‘hominem esse’, nominis ‘Iesus’, et nominis infiniti ‘non-homo’ disputetur postulant. Quattuor sunt partes capitales: A 7057–86: Quid dicendum supposito incarnationem bis fieri; B 7097–7134: Utrum ‘Iesus’ sit nomen individui; C 7135–7204: De nominibus infinitis; D 7205–33 Aliorum opinio de quibusdam supra, in A, dictis.

**7057–73** Auctor opusculi de homine assumpto, cod. Paris. 3477: 4rA, sic ait: “Item, esto quod Christus praeter animam et corpus quae sumpsit assumat aliam animam et aliam carnem et uniat illa sicut prima. Hoc enim possibile est deo. Quo posito quaero utrum Christus sit duo homines. § Probatio. Non est maior ratio quare sit potius unus quam alias, ergo est duo homines. Et illorum alter est albus, reliquus niger, unus bicubitus, alter tricubitus; sit ita: <ergo> Christus est unus albus et alias niger, ergo est album et nigrum, ergo est diversa. Si ipse est unus solus homo, uter potius? Ille constat ex duabus animabus et duobus corporibus, ille ergo est albus et niger et bicubitus et tricubitus. – Quod concedunt quidam. § Nos dicimus quod sicut eadem vox, ut ‘canis’, est diversae partes orationis et diversa nomina, non tamen est diversa, ita secundum hoc filius est diversi homines, non tamen est diversa; et sicut idem quod est pater est filius, non tamen pater est filius, ita id quod est unus homo est aliis homo, non tamen unus homo est aliis homo.”

**7074–94** Argumentationem non intellexi, nisi forte haec est: Supponamus incarnationem bis fieri, et (a) filium Mariae nondum esse natum, (b)

filium alterius virginis iam esse natum. Tunc sic proceditur: (1) ‘Filius Patris erit homo’ vera est propter (a). (2) ‘Filius Patris erit homo, et ille homo non est’ vera est propter (a) et (1), demonstrato filio Mariae. (3) ‘Filius Patris erit homo, et ille homo est’ vera est propter (1) et (b), demonstrato filio alterius virginis. Cum ‘esse hominem’ et ‘esse illud’ convertibilia sint, ut sc. unum dictum ex altero inferri possit, proposito sub disiunctione (4) ‘Filius Patris erit aliquid, et illud est vel non est’, propter (2) eligenda est pars negativa, ut recipiatur (5) ‘Filius Patris erit aliquid, et illud non est’. Ex (5) videtur sequi (6) ‘erit aliquid quod non est’; est autem (6) neganda, praesertim cum illa dictio ‘aliquid quod non est’ nugatoria sit – implicatur enim hoc dictum falsum ‘aliquid non esse’. Praeterea, ex (5) non sequitur (7) ‘incipiet esse quod erit’, quamquam sequitur (8) ‘Filius Patris incipiet esse illud’. (7087sqq.:) Hucusque imprimis actum est de propositionibus quae ex suppositione (a) sequuntur. Iam de eis quae ex (b). Sed ad eas investigandas nihil refert utrum qui iam natus sit filium Mariae an alterius virginis esse supponamus. Sit ergo Filius Patris nunc primum incarnatus. Tunc (9) ‘Christus humanitate est aliquid’ vera est. Ex (9) sequitur (10) ‘illud esse’ esse verum. Non autem (10) semper fuit verum, quia ex dicto (10) sequitur dictum (11) ‘hominem esse’, quod verum coepisse esse constat, cum Christus nunc primum homo sit. (7091-2:) Sed cave ne concludas (12a) ‘illud coepit esse’ vel (12b) ‘“illud esse” coepit esse’; fuit enim ab aeterno. Recte sic concludendum: (13) ‘“illud esse” coepit esse verum’. (7093-94:) Propositio (9) ‘Christus est aliquid’ duas causas veritatis habet. Supra ostensum est quomodo de dicto (10) ‘illud esse’ ex ea derivato iudicandum esset ei qui propositionem (9) idem ac (9a) ‘Christus est aliquid, quia homo’ valere intellexisset. Alteram causam veritatis propositionis (9) sic exprimere licet: (9b) ‘Christus est aliquid, quia deus’; sic iterum sequitur ‘illud esse’ esse verum, sed pro (13) dicendum (14) ‘“illud esse” semper fuit verum et semper erit verum’, cum iam per ‘illud’ sive ‘illud esse’ deitas supponatur.

Cum in vv. 7074sqq. multa sint quae lectorem confundant, praesertim notanda est ambiguitas vocis quae est ‘verum’. Potest enim adjective accipi; potest etiam substantive, ut ‘verum’ = ‘dictum verum’. In eis operibus theologicis ex quibus auxilium petere consueveram, multa argumenta inveni quae Andreae similia essent, sed quod eius argumentationi ad amissim congrueret non repperi. Videas tamen P. Pict. IV.8; Summam Stephani Langton 155rA/p. 92, 159vB/pp. 126-7; eiusdem Quaest. 323rB; Summam Martini 34rA-vA (de veris); Summam Godefridi 5rB-vA, 13vA, 116rA-117rA (partim ex St. Langton hausta praebet); Tract. hom. ass. pp. 492-99.

**7097-7134** Hic Andreas ‘Iesus’ non esse nomen individui probare nititur. (7097-7100:) Argumentatio talis est: <Argumentum ab Andrea omissum: (1) Hoc nomen ‘Iesus’ Filio secundum naturam humanam convenit; ergo (2) ‘Iesus est homo’ vera est; sed (3) quilibet homo est individuum

eius speciei quae est “homo”; ergo (4) Jesus est individuum eius speciei quae est “homo” (ex 2 + 3).> *Responsio:* (5) Hoc nomen ‘Jesus’ Filio secundum utramque naturam convenit; ergo (6) ‘Jesus est deus’ vera est; sed (7) individuum est quod sub specie continetur; et (8) deus sub nulla specie continetur (“transcedit omnem speciem”); ergo (9) Jesus non est individuum speciei (ex 7 + 8). (7107:) *Hic alia definitio individui inducitur, haec sc.* (10) “Individuum est forma qua eius subiectum distinguitur a qualibet alia re ratione cuiuslibet temporis.” Quomodo argumentum procedat incertus sum; fortasse sic: Si dicatur (11) “Iesuitas est individuum, i.e. forma individualis iuxta definitionem (10), quae Christo secundum naturam humanam convenit”, ita refellas: (12) *Ista forma non est divina persona* (ex 11); et (13) *ista forma est in Christo ut in subiecto* (ex 11); ergo aut (14) *ista forma est pars compositi cuius altera pars est divina persona*, aut (15) *divina persona non est pars talis compositi*, sed tunc Iesuitas discernit Christum a divina persona (ex 10-13). (7106-32:) *Hic Andreas demonstrat in humanitate Christi, i.e. in anima et corpore eius, non posse inveniri individuum = forma individualis (iuxta definitionem 10 supra datam) sive propria existentia, i.e. talis collectio proprietatum quam non est in alio reperire, ex qua individuum constituatur.* Si enim Filius Patris duas animas et dua corpora assumpsisset, istorum “duorum” hominum aut eadem esset forma individualis sive collectio proprietatum, ut discerni nequirent, et tunc ista forma non individuat; aut istorum duorum essent diversae formae, sed tunc, cum omnes proprietates Christi hominis Filio Patris attribui possint, duo individua Filio Patris inessent – quod est absurdum.

De nomine ‘Jesus’ cf. *Tract. hom. ass. pp. 497–99; Summam Praepositini 52rA & vA; Summam Godefridi 5vB, 116vB–117vB, 121vB–122vA.* Haec sunt Godefridi (117vB): “Circa principium Ad Romanos sunt aliquae glosae dubitabiles, quarum alias hic prosequemur et alias tempore suo. Hic, dicit Glosa quod hoc nomen ‘Jesus’ impositum est ab angelo, quod bene concordat cum eo quod diximus, quod tantum pertinet ad humanitatem. Et etiam Lucas qui dicit quod vocatum est ab angelo. Sed contrarium dicit Glosa super Matthaeum ‘Vocabis nomen eius Iesum – vocabis, non impones, quia ab aeterno est impositum’; ergo ab aeterno habet hoc nomen ‘Jesus’, ergo ab aeterno potuit vere dici ‘filius dei est Jesus.’” De “propria existentia” (7118) vide *Praepositum*, ll.cc. Auctoritas quam Andreas 7121-22 adducit ab aliis theologis pluries laudatur, et plerumque sub hac forma: “quicquid habet filius dei per naturam, habet filius hominis per gratiam.” Plerique Ambrosii dicunt esse, *Tract. hom. ass. p. 473* Augustino tribuit.

**7135–7204** De nominibus infinitis, et praesertim de hoc quod est ‘non-homo’. Logici mediaevales Aristotelem (*De Interpretatione* 2, 16a32) securi “nomina finita” (e.g. ‘homo’) negatione ‘non’ praefixa “infinitari” et “infinita” fieri dicebant. Est ergo ‘non-homo’ nomen infinitum. Andreas

duas opiniones lectori proponit, quarum altera (7135sqq.) hoc argumentum recipit ‘Quicquid est, est homo vel non-homo; pater non est homo; ergo pater est non-homo’, altera (7159sqq.) idem argumentum reicit. De tota re, cf. Summam “Breves dies hominis”, cod. Bamberg. 136: 55vA; P. Pict. IV.10, PL 211: 1180–81; Anonymi Opusculum de homine assumpto, cod. Paris. 3477: 3vB; Stephani Langton Comm. Sent. p. 34 Landgraf; Summam eiusdem 154rA–154vA/pp. 87–89; Quaest. eiusdem 209vB–210rB/pp. 199–202, 218rB/p. 204; Summam Martini 107rA, 109vA. Iam ad argumentorum expositionem veniamus.

Sensus hic est: (7135–41:) Secundum primam opinionem, haec est argumentatio bona: (1) ‘pater est homo vel non-homo; (2) pater non est homo; ergo (3) pater est non-homo’. Sed ‘non-homo’ dupliciter exponi potest, aut (a) per ‘aliquid quod non est homo’ aut (b) per ‘aliquis qui non est homo’. Duae ergo sunt “expositoriae” (sc. propositiones) propositionis (3), videlicet (3a) ‘pater est aliquid quod non est homo’ et (3b) ‘pater est aliquis qui non est homo’, quarum (3a) reicienda est, cum (4) ‘quod pater est, est homo’ vera sit. Ut de propositionibus (1)–(4), ita de (1\*–4\*), sc. ‘pater est filius/genitus vel non-filius/non-genitus’ ... ‘quod pater est, est filius/genitus’, iudicandum. (7142–55:) Propositio (5) ‘deitas est homo’ vera est, vera est etiam (6) ‘deitas est non-homo’; et similiter (5\*, 6\*) ‘deitas est filius’ ‘deitas est non-filius’. Sed attendenda est varia suppositio huius termini ‘non-homo’ ante et post incarnationem. Ante incarnationem ‘non-homo’ deitatem supponebat, ut (6) per (6a) ‘deitas est aliquid quod non est homo’ vere exponeretur, vereque inferri posset (7) ‘pater est non-homo et filius est non-homo et spiritus sanctus est non-homo’. Post incarnationem ‘non-homo’ personaliter supponit, ut (6) per (6b) ‘deitas est aliquis qui non est homo’ vere exponatur neque sequatur (7). (7156–58:) Potest tamen contra opinionem supra memoratam sic obiectio induci: Ista opinio praesupponit illationem ‘(6) ergo (7) esse necessariam si ‘non-homo’ deitatem supponat. Praesupponit ergo tale axioma: “‘deitas est x, ergo pater est x et filius est x et spiritus sanctus est x’ est bona consequentia si ‘x’ deitatem supponit”. Quod esse falsum videtur, nam si es- set verum, haec esset bona consequentia: ‘Deitas est incarnata, ergo pater est incarnatus et filius est incarnatus et spiritus sanctus est incarnatus’, cuius tamen consequens (‘pater ...’) falsum est, cum antecedens (‘deitas est incarnata’) verum sit; revera ex propositionibus in consequente coniunctis tan- tum una vera est, sc. ‘filius est incarnatus’. (7159sqq.:) Alii nomina infinita semper eodem modo quo finita ex quibus derivata sint supponere opinan- tur. Hi sic: ut (a) ‘homo’ supponit “aliquid” (essentiam), sic ‘non-homo’ supponit aliquid et debet per ‘aliquid quod non est homo’ exponi. Ut (b) ‘genitus’ supponit “quem” (personam), sic ‘non-genitus’ supponit quem et debet per ‘aliquis qui non est genitus’ exponi. Ergo ex (2) ‘pater non est homo’ non sequitur (3) ‘pater est non-homo’, quia (3) = (3a) ‘pater est aliquid

quod non est homo', quae propositio falsa est. Similiter ex (8) 'nullus lapis est genitus' non sequitur (9) 'lapis est non-genitus' quia (9) = (9b) 'lapis est aliquis qui non est genitus', et lapis non est persona. Post incarnationem (5) 'deitas est homo' vera est, sed (6) 'deitas est non-homo' falsa est, quia (6) = (6a) 'deitas est aliquid quod non est homo'. Sed simus ante incarnationem; iam (10) 'deitas est iste non-homo' vera est, demonstrato deo; non tamen sequitur (11) 'filius est iste non-homo' demonstrata persona filii, quasi per istam locutionem 'non-homo' supponatur filius dei et copuletur quaedam proprietas, "non-humanitas", qua filius dei sit persona. Licet enim pronomen demonstrativum substantive positum personam supponat, tamen, quando adjective ponitur, ut nomen essentialiter supponens personaliter supponat efficere nequit; immo, tunc ipsum 'iste' nihil supponit, nihil copulat. Hinc, quamquam Christo in cruce demonstrato 'Petrus istum hominem pati scivit' vere dicitur, non sequitur 'ergo Petrus scivit istum pati'; qui enim 'istum hominem pati' scit, hominem esse qui patitur scit, sed quisnam (quae persona) is sit nescire potest; et revera, in casu proposito Petrus personam patientem esse filium dei nescivit; nam de identitate filii Mariae et filii dei non potest haberi certitudo scientiae, sed solius fidei. Similiter, demonstrato Petro vere dicitur 'Petrus humanitate est iste homo', sed non sequitur 'Petrus humanitate est iste'; ut enim Petrus sit haec persona "Petrus" non habet a sua forma speciali sed a sua propria existentia sive forma individuali. Verumtamen, etsi (11) 'iste', adjective sumpto, reicienda est, recipi potest sub tali interpretatione: (11a) 'filius est iste, non-homo', 'iste' substantive sumpto, ad cuius propositionis veritatem sufficit veritas harum: 'filius est persona demonstrata' et 'persona demonstrata est deus'. (7193–7204:) 'Genitus' et 'non-genitus' supponunt personam et significant proprietatem, i.e. 'genitus' supponit personam cuius proprietas sit filatio, 'non-genitus' personam cuius proprietas filatio non sit. Ideo (5\*\*) 'deitas est genitus' propter personam filii vera est, (6\*\*) 'deitas est non-genitus' propter personam patris. – Sed contra opinionem vv. 7159sqq. expositam duae sunt obiectiones. (Obiectio A:) Quod asserunt infinitum et finitum semper eodem modo supponere, falsum est. Nam 'ingenitus' et 'non-genitus' idem significant. Vera autem est (6\*\*\*) 'deitas est ingenita'; ergo 'ingenita' adjective divinam essentiam supponit; ergo 'non-genitus' quoque essentiam supponit, quamvis eius finitum, 'genitus', personam supponat. (Responsio ad A:) 'Ingenita' in (6\*\*\*) non copulat essentiam; quod ex eo patet, quod si id faceret, tantum connotatione proprietatis filio non convenientis impediri posset ne propositio intolerabilis (12) 'filius est ingenitus' ex (6\*\*\*) sequeretur, nihil autem tale 'ingenita' connotat. (Obiectio B:) Secundum principia huius opinionis patrem esse personam missam et non-missam probari potest. Ut enim vv. 905sqq. didicimus, 'missus' divinam essentiam copulat, sed personam (aut filii aut spiritus sancti) supponit; ergo 'non-missus' (i) aliam essen-

tiam quam divinam copulat, et (ii) aliam personam quam filium vel spiritum sanctum supponit. Ex (i) sequitur (13) ‘pater est persona non-missa’ esse propositionem falsam; ex (ii) sequitur (14) ‘pater est non-missus’, ‘non-missus’ substantivato, esse veram. Sed ex (14) sequitur (13); ergo (13) simul falsa et vera est.

In textu Andreeae de nominibus infinitis explicando nisus sum ne sibi contrarius videretur. At dissimulare non possum argumenta vv. 7951sqq. minus quam perfecte inter se cohaerere mihi videri. Nam, ni fallor, Andreas duas opiniones de (11) “‘filius est iste non-homo’ demonstrato filio” conflavit, quarum altera propositionem (11) ut incongruam damnaverat propter repugnantiam demonstrationis (ad personam directae) et suppositionis (pro essentia), altera distinctione inter ‘iste’ adiectivum et substantivum usa erat.

Praeter fontes in capite commentarii ad 7135sqq. memoratos (quorum Stephanus Langton maximi momenti est) conferantur: ad 7179–88 Stephanus Langton, Summa 159vA–B/pp. 125–126: “Item constat quod haec est vera ‘Christus factus est iste homo’. Sed quare Christus aliquo est iste homo? Probatio: Christus humanitate est, quia humanitate est aliquis homo, ergo Christus humanitate est iste homo, ergo humanitate est persona. § Item cum dicitur ‘Christus humanitate est iste homo’, iste terminus complexus duo continet in se, quorum unum pertinet ad personam, sc. hic ‘iste’, reliquum ad essentiam, sc. iste terminus ‘homo’; ergo sicut haec est falsa ‘Socrates humanitate est homo albus’ ita haec, ut videtur, ‘Christus humanitate est iste homo’. § Solutio: haec vera ‘Christus humanitate est iste homo’, quia iste terminus ‘iste’ adiective positus nec copulat nec supponit, ergo nullo modo ad personam pertinet quantum ad suppositionem et copulationem, semper tamen demonstrat personam si coniungatur termino supponenti personam. – Hinc patet solutio illius quaestionis quae solet proponi quando de fide dubitatur: haec enim vera et admittenda ‘Petrus scivit istum hominem pati’ demonstrato Christo, nec tamen scivit istum pati sed credidit.” Ad 7181–83, Martinus in Summa 85vB: “Item, Thomas noluit credere deum qui comparuerat nisi videret cicatrices in corpore domini; igitur fidei suae humana ratio praebuit experimentum; ergo non meruit sic credendo, quia dicit auctoritas ‘fides non habet meritum etc.’ Item, beata virgo vidi passionem Christi et eam credidit; ergo quod vidi credidit; ergo tali fide quae erat ex sensu non meruit. § Solutio: et beata virgo et Thomas meruit credendo Christum pati, quem videbant patientem. Fides tamen non est de visis, sed scientia; sed ex visis provocatur quis ad credendum invisa, ut Petrus oculo materiali vidi hominem pendentem in cruce, sed fide credidit eum esse deum quem oculo materiali non videbat esse deum; et licet Petrus quem videbat corporaliter sciret esse hominem scientia sensus, non tamen filium dei sciebat esse hominem, sed credebat, licet homo ille esset filius dei. Talia enim erunt praedicata qualia subiecta permiserint. Ille enim homo sci-

tur esse homo, non tamen creditur esse homo; et filius dei creditur esse homo, non tamen scitur esse homo; fides enim est de filio dei et scientia de filio hominis; ergo de quo fides et scientia, et non secundum idem.” Ad 7196–99, Stephanus Langton, Summa 157vB/pp. 111–112: “Quaeritur ergo utrum in hac ‘divina essentia est ingenita’ copuletur divina essentia sicut et in hac ‘divina essentia est increata’. Quo concesso, sic: in praedicta copulatur divina essentia per hanc dictionem ‘ingenita’ et nihil connotatur; ergo haec erit vera ‘filius est ingenitus’, quia hoc quod copulatur ei convenit, cum nihil connotetur pro quo sit falsitas. § Ad hoc dicimus quod cum dicitur ‘divina essentia est ingenita’ non copulatur divina essentia, neque aliquid nisi intellectus.”

**7205–33** “Praedicta” ea esse videntur quae 7074sqq. dicta sunt. Opinio hoc loco “quibusdam” attributa talis esse videtur: (1) ‘Filius Patris erit homo Christus, et ille est’ vera fuit ante incarnationem; similiter (2) ‘Filius Patris erit compositum, et illud est’, quamquam (1\*) ‘Filius Patris est homo’ et (2\*) ‘Filius Patris est compositum’ tum falsae. (3) ‘Illud esse’ semper fuit verum, neque ex (3) sequitur (4) ‘hominem esse’, quod tum demum verum esse coepit cum incarnatio facta est. (4) ex (3), (2\*) ex (2), (1\*) ex (1) ideo non sequuntur quod relativo ‘ille’/‘illud’ sola persona sine ulla connotatione refertur, et sic ad veritatem propositionis (2) non requiritur nisi veritas harum duarum propositionum: ‘filius erit compositum’ ‘persona filii est’. (7215–18:) Instantia. Iuxta hanc opinionem sic procedere licet: (5) Filius Patris erit aliquid, et illud est genitum; et (6) nihil erit Filius Patris quod modo non sit; ergo (7) Filius est aliquid modo genitum Patre. Sed conclusio (7) est falsa, quia praesuppositum est propositiones (5) – (7) ante incarnationem enuntiari. (7219–29:) Refutatio. Argumentum (5–7) est sophisticum. Nam licet (5\*) ‘Filius erit aliquid genitum de Patre, et illud est’ sit propositio vera, non sequitur (5), cum pronomen ‘illud’ (“dictio relativa”) tantum personam referat sine ulla relatione naturae humanae per illam dictionem ‘genitum de Patre’ significatae vel consignificatae. Non ergo isto sophismate cogimur propositionem ‘Filius non est, sicut erit, aliquid de Patre (genitum)’ ante incarnationem fuisse veram negare. Eadem fallacia qua sophisma (5–7) laborat in hoc argumento occurrit: ‘haec anima peccatrix cras erit iustum, et ipsa est illud; ergo haec anima peccatrix est iustum’; immo, ex antecedente sequitur ‘haec anima peccatrix non est iustum, sed erit iustum cum iustitia ei advenerit’. Similiter de Filio nondum incarnato vere dici potest ‘(qui est) Natus ex Patre simplex erit compositum (= aliquid habens partes) ex Patre natum’ neque sequitur eum iam aliquid compositum et aliquid ex Patre natum esse, sed eum aliquid compositum etc. fore cum humana forma divinae accesserit.

Versus 7212–15 male distinximus. Melius sic: “quam Genitus fuerit de casta uirgine natus quippe relatiuo pure persona refertur, ut nil praeter eam

dicant ibi posse notari. Sed sic ...". 7228–29 pro "qui nunc est 'ex Patre simlex', Natus 'habens aliquid partes' erit" scribendum est, opinor, "qui nunc est 'ex Patre simplex Natus' 'habens aliquid partes' erit".

**7234–52** Cf. Stephanum Langton in Quaest. 323rA: "*<Obiectio contra positionem cui favebat Andreas: >* Item videtur quod supposito homine aliquando non supponitur persona, ut in Psalmo 'Deus, deus meus, ne sileas etc. et assimilabor descendantibus in lacum'; Glosa Ordinaria: Deus divinitatem ne subtrahas a me, quia si hoc fiat, assimilabor descendantibus etc. Non enim videtur quod haec [h.: hoc *V*] peteret persona [p. *supra lin. C:* sc. *V*] deitatem subtrahi a se, cum hoc sit impossibile quod subtrahatur; ergo cassa esset haec petitio. § Responsio: Loquitur Christus in persona generalis hominis. Vel dicatur quod orat in persona sui quod non eveniat quod tamen evenire scit [scit: sit *V*] impossibile, sicut oramus pro illis animabus quae sunt in purgatorio ne cadant in infernum per illam orationem 'Domine Iesu Christe'. Sed ad quid hoc oramus hic ut non cadant, cum cadere non possint? Ut scilicet attribuamus gratiae quod non cadunt. Eodem modo inde, ut attribuatur gratiae quod non subtrahitur deitas a Christo in quantum homo." Cf. etiam Tract. hom. ass. pp. 485sq.

**7253–98** Andreas hic de eis quaestionibus loquitur de quibus P. Lombardus in Sent. III dd. 21–22, utrum sc. in morte a Verbo sit separata anima vel caro, et utrum Christus in triduo fuerit homo. Eandem materiam tractant: P. Pict. IV.22; Stephanus Langton, Comm. Sent. pp. 127–129 Landgraf, Quaest. 251vB–252rA & 323vB–324rB; Simon Tornacensis, Institutiones 34rB; Praepositinus, Summa 53vB–54rB; Martinus, Summa 119vA–120rB; Godefridus, Summa 119rA–120vB.

Conclusiones Andreeae hae sunt: (a) Mors neque animam neque carnem a Verbo separavit, sed animam a corpore. (b) Christus in triduo non fuit homo, quia homo est compositum ex anima et corpore. (c) Christus in triduo non fuit subiectum proprietatum creatarum. Ergo nec rationale, nec coloratum nec quicquam eiusmodi. (d) Proprietates creatae Christi trium generum sunt: (A) quae ipsi convenient quia animae eius insunt, e.g. rationalitas, (B) quae ipsi convenient quia corpori eius insunt, v.g. color, (C) quae ad suam constitutionem ut anima corpori unita sit exigunt, e.g. risibilitas. Proprietates (C) nullo modo Christo in triduo infuisse dicendae sunt. Proprietates (A) et (B) sub hac forma loquendi (1) 'Christus fuit rationalis/coloratus' ei attribui possunt, ut indicetur animam et corpus adhuc Verbo unita fuisse, id quod non eluceret si pro (1) huiusmodi locutionibus uteremur: 'anima Christi fuit rationalis' 'corpus Christi fuit coloratum'. Ex (1) non sequitur 'ergo fuit rationale/coloratum'. – Haec in summa; iam ad quasdam minutias transeamus.

**7255–57** Cf. Summam Praepositini 53vB–54rA: "Quaeritur utrum Christus in illo triduo fuit homo. Quod videtur (...). Item auctoritas 'Tu es

sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech'. Videtur ergo <quod> Christus ex quo factus est sacerdos numquam desiit esse sacerdos, ergo in illo triduo fuit sacerdos; sed secundum quod homo fuit sacerdos, ergo in illo triduo fuit homo. (...) § Ad secundum, 'Tu es sacerdos in aeternum etc.', dicimus hoc ideo dictum esse quia sacerdotium eius futurum erat in aeternum, vel quia eius sacerdotio nullum aliud accessit nec succedet, sicut sacerdotio Aaron successit sacerdotio Christi."

**7265–68** Cf. Summam Martini 120rA: "Item, Christus tunc erat unctus spirituali unctione, ergo non fuit unctus secundum quod deus sed secundum quod homo, ergo tunc fuit homo. § Non sequitur. Dicunt isti" – sc. qui negant Christum in triduo fuisse hominem – "quod unctione facta est secundum animam, quae numquam fuit separata a Verbo. § Item, Christus secundum quod homo descendit ad inferos, igitur in descensu erat homo. § Responsio: si talis est sensus 'secundum quod homo, i.e. secundum animam, quae portio humanae naturae est', verum est, alias non."

**7278–83** Sensus hic est: Quaesito qua ratione Christus vivus a proprietatibus corporis vel animae denominari possit, pro causa assignatur, totum a proprietatibus partis denominari, ut homo 'rationalis' propter rationalitatem animae, 'coloratus' propter colorem corporis dicatur. Si vero de Christo mortuo quaeratur, eadem ratio assignari non potest. Cum enim homo esse desierit, anima et corpus eius, licet permaneant, partes eius non sunt. Quoniam autem adhuc Verbo unita extant, Christus etiam mortuus a proprietatibus eorum denominari potest.

Cur quedam animae vel corpori Christo mortuo attribui necesse sit, Godefridus in Summa 120vA docet, qui tamen hoc ab Andrea dissentit quod Christo mortuo non omnes eiusmodi proprietates attribuit: "Quare conceditur quod Christus descendit ad inferos, cum non concedatur quod Christus sit rationalis? § Dico quod religio fidei hic habuit necessitatem facere illam transumptionem ad notandum quod illa glorioissima anima quod in illo triduo fecit est operata ex virtute deitatis. Si enim diceretur 'anima Christi descendit ad inferos' 'anima Christi extraxit sanctos', ex virtute locutionis non daretur intelligi quod hoc faceret ex virtute deitatis sibi unitae, quod expresse insinuat cum dicitur 'filius dei descendit ad inferos' 'filius dei liberavit sanctos', et praedicatur motus de illo qui manens immobilis dat cuncta moveri. Unde patet quod iste terminus 'filius dei' ponitur pro anima filii dei, ut sic notetur actus ille fuisse in anima ratione divinitatis sibi unitae, quod non fieret si solum nomen animae ibi apponetur. Habuit etiam necesse religio christiana ad transumendum hunc terminum 'filius dei' vel hunc terminum 'Christus' ad supponendum pro corpore eius in huiusmodi locutionibus 'iacuit in sepulchro' 'positus est in sepulchro' ad convincendam haereticam pravitatem, quae negat illud sanctissimum corpus fuisse corpus dei et hominis. Sed non habuit necesse ut in talibus locu-

tionibus transumeret, ‘est corporeus’ vel ‘est albus’ vel ‘tricubitus’, cum de corpore illo quod tale esset nemo ambigeret.”

**7284–85** Andreas hic per paraphrasim verba Augustini profert quae apud P. Lombardum, Sent. III d.22 c.4 (73) laudantur: “Quid ergo propter quid, et quid secundum quid dicatur, prudens et diligens et pius lector intellegat.” Cf. P. Pict. IV.22: “Sed quid de quo et quomodo et secundum quid dicatur, pius ac prudens lector diligenter inquirat.”

**7286–87** Argumentum quod his versibus refutatur apud Praepositum in Summa 54rB legitur: “Dicit Augustinus ‘Christus totus fuit in caelo, totus in sepulchro, totus in inferno.’ Si totus, ergo secundum quamlibet partem.” Cui Praepositinus sic obloquitur: “Adiectiva referuntur ad personas, neutra vero ad essentiam. Fuit ergo et in inferno et in cruce et in caelo et in sepulchro totus, id est illa persona perfecta, sed non totum, i.e. non secundum omnem sui naturam; in inferno enim non fuit secundum naturam corporis, nec in sepulchro secundum naturam animae.”

**7288–91** Cf. Godefridum in Summa 120vA: “Sed obicitur: Quomodo Christus adhuc est unitus carni, vel divina essentia? § Dico quod (...) et praetera <sc. divina essentia> conservat carnem ab omni putredine et ut non videat corruptionem et confert ei necessitatem cito redeundi ad corpus; ex ipsa enim erat quod non poterat morte detineri diu; eodem modo dico illam esse unitam animae, et habet effectum in anima qui confert ei omnia bona et vim extrahendi sanctos ab inferis.”

## LIBER XII

**7299–7301** Cf. Summam Godefridi 119vA–B: “Quaeritur utrum Christus semper fuerit unitus humanitati ex quo semel fuit unitus.” Inter argumenta hoc invenitur: “Super hunc psalmum ‘Deus, deus meus respice in me, quare me dereliquisti?’ dicit Cassiodorus: ‘clamat caro separatione deitatis moritura’; ergo divinitas fuit separata a carne.” Cui Godefridus haec respondet: “Primam auctoritatem sic expone: ‘separatione deitatis’ id est propter separationem quam faciebat deitas, qua sc. deitas separabat animam a corpore. – Aliter, ut melius respondeat textui: ‘separationem deitatis’ appellat expositionem passionis, sicut textus appellat ‘derelictionem’ flagellis expositionem.”

**7302–04** Cf. Stephanum Langton, Quaest. 251vB: “Item, ‘tantae subtilitatis erat divina natura quod non poterat uniri carni nisi anima mediante’, et ita sublato medio dissoluta sunt extrema. § Non sequitur. Sicut affinitas contrahitur mediante isto, non tamen eo cessante desinit affinitas; et matrimonium contrahitur mediante consensu, non tamen eo cessante desinit matrimonium.” Similia in eiusdem Quaest. 324rA, et in Summa Martini 119vB.

**7320sqq.** De potestate baptizandi. Cf. Stephanum Langton in Questionibus, 184vB: “Quaeritur utrum Christus secundum quod homo habuerit aliquam potentiam mundandi a peccato sive baptizandi interius. § Probatur quod habuit, quia super hunc locum Iohannis ‘et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit: super quem videris spiritum descendenter et manentem, hic est qui baptizat’ dicit Augustinus: ‘potuit dominus, si vellet, dare potestatem alicui servo ut daret baptismum suum tamquam vice sua, et transferre a se baptizandi potestatem et constituere in aliquo servo, et tantam vim dare baptismu[m] translato in servum quantam vim haberet baptimus datus a domino; sed hoc noluit ideo ut in illo esset spes baptizatorum, et ne tot essent baptismi quot servi.’ Ergo Christus potuit talem potestatem dare servis, sed illa aut esset increata aut creata (...)” et quae sequuntur.

**7345sqq.** De scientia Christi quaestio extat Stephani Langton, 189vA–190rA, ex qua haec excerptimus: “Duplex est et fuit ab instanti incarnationis scientia in Christo, sc. increata qua scit et scivit ab aeterno quicquid et pater et aequa bene ut pater, unde hac scientia est aequa sciens patri; altera est creata qua scit omne enuntiabile quod scit pater et qua notitiam habet omnium rerum quarum notitiam habet pater, sed non aequa limpide <cf. 7350> ut pater, sicut iste qui non est physicus scit discernere inter has herbas sicut physicus, sed non aequa bene ut physicus, et sicut aliqui duo vident vel sciunt aliquid, unus tamen limpidius quam alter. Scientia ergo creata scit filius omne enuntiabile quod scit pater, sed non aequa ut pater, et eadem scientia habet Christus notitiam omnium quorum notitiam habet pater, sed non aequa ut pater, unde scientia creata non est aequa sciens patri. § Item nota <cf. 7374 sqq.> quod quantacumque est hodie scientia creata Christi, tanta fuit in instanti incarnationis: numquam enim suscepit nec suspicere potuit incrementum. (...) § Sed videtur quod creverit scientia Christi. Dicit enim Glosa in principio Ezechiel: discit inter homines in terra et docet angelos in caelo. (...) Item in Luca: puer Iesus proficiebat aetate et sapientia apud deum et homines. Ergo proficiebat sapientia, et ita eius scientia crescebat. Forte sic exponitur <cf. 7377–79> ‘proficiebat’ i.e. proficerere videbatur. (...) Gregorius, sicut legitur in tertio Sententiarum <cf. P. Lomb. III d.13 c. un. (38) n.5>, sic exponit: proficiebat non in se sed in aliis apud homines, i.e. ad profectum hominum; et apud deum, i.e. ad honorem dei. (...) § Item, cum Christus scientia creata sciat quicquid scit pater, quaeritur quare non concedatur similiter <cf. 7357–60> quod potentia creata possit quicquid potest pater.” Andreas partim cum Stephano, partim cum P. Lomb. 3 d. 13–14 congruit.

**7352** In cod. R post “scire” signo interrogationis distinguitur. Gertz et nos codicem secuti sumus. Nobis tamen verisimile videtur pronomen ‘quis’ non interrogativum sed indefinitum esse, ita ut “quis diceret” = “ali-

quis diceret". Positioni hoc versu reprobatae similem Martinus in Summa 112vB amplectitur: "Solutio: neganda est ista 'nihil scit Christus scientia creata quod ipse sciat perspicacius quam anima Christi', immo quicquid scit Christus scientia creata, scit perspicacius quam anima Christi."

**7422–31** Cf. Summam Martini 115vB–116rA, ubi quaeritur "an Christus inter alios defectus necessitatem moriendi suscepit". 115vB distinctio memoratur quam Andreas v. 7426 in mente habuisse videtur: "Alii distinguunt triplicem necessitatem, dicentes: necessitas moriendi alia est contracta, alia illata, alia assumpta. Contracta est quae est ex originali peccato; illam Christus non habuit. Nec illatam habuit Christus, quia potuit, cum esset deus sabaoth, id est exercituum, opponere multas legiones angelorum conspirationi iudeorum. Assumptam vero necessitatem moriendi habuit, ex qua mortuus est; tamen sola voluntate mortuus est."

**7432–74 & 7505–09** Cf. Mortensen (1985,2: 181–184).

**7571–7617** Cf. Mortensen (1985,2: 174–181).

**7618–66** Horum versuum cum P. Lomb. Sent. IV d.43 comparatio apud Raasted (1985) legitur.

## **Indices**



## BIBLIOGRAPHY

Besides providing full information about works referred to in parts 1–2 of this edition, the bibliography records books and articles whose main subject is Andrew Sunesen. We only give a few titles from the historical literature on 12th- and 13th-century Denmark, in which Andrew is often treated in his capacity of archbishop. But otherwise we have aimed at completeness. A few abbreviations have been used, and they are listed in the bibliography itself.

- Alanus ab Insulis (1955). *Anticlaudianus*, ed. R. Bossuat (Alain de Lille, Anticlaudianus. *Textes Philosophiques du Moyen Âge* 1.). Paris.
- Alanus ab Insulis. *Contra Haereticos*. PL 210: 305sqq.
- Alanus ab Insulis (1978). *De Planctu Naturae*, ed. N.M. Häring, *Studi Medievali* 19: 797sqq.
- Alanus ab Insulis, *Regulae Caelestis Iuris*. Edition in Häring 1981.
- Alanus ab Insulis, *Summa "Quoniam homines"*. Edition in Glorieux 1953.
- Alexander de Hales (1924). *Summa Theologica* I. Quaracchi.
- Alexander de Hales (1951). *Glossa in quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi* I (= *Bibliotheca Franciscana Scholastica Medii Aevi* XII). Quaracchi.
- Alexander Neckam (1863). *De naturis rerum libri duo...* ed. Th. Wright. London.
- Alexander de Villa-Dei (1845). *Das Doctrinale des Alexander de Villa-Dei*, ed. Dietrich Reichling (*Monumenta Germaniae paedagogica* Bd. 12). Rp. Burt Franklin: New York, 1974.
- Allegoriae in Vetus Testamentum*, PL 175: 635sqq.
- Ambrosius. *De Incarnationis Dominicae Sacramento*, PL 16: 853sqq.
- Ambrosius. *De Tobia*, PL 14: 793sqq.
- Ammundsen, Valdemar (1905–1907). ‘Anders Sunesen’. *Kirkehistoriske Samlinger* 3 (5. rk.): 650–664. København.
- Andersen, J.O. (1900): ‘Anders Sunesen’. *Kirkeleksikon for Norden* I: 82–83. København.
- Angelini, Giuseppe (1972). *L'ortodossia e la grammatica* (= *Analecta Gregoriana* vol. 183, *Series Facultatis Theologicae*: Sectio B, n. 58). Università Gregoriana Editrice: Roma.
- Annales Danici Medii Aevi, ed. Ellen Jørgensen (1920). Selskabet for Udgivelse af Kilder til dansk Historie/Gad: København.
- Anonymous. *Apologia de Verbo Incarnata*. Edition in Haring 1956. Older edition in Migne, PL 177: 295–316.
- Anonymous, *Opusculum de homine assumpto*. Ms Paris BN lat. 3477: 3r–4r.
- Anonymous, *Summa "Breves dies hominis"*. Ms Bamberg 136: 1r–98v. In ms attributed to “magister Stephanus, Cantuariensis archiepiscopus”.
- Anonymous (1967). *Tractatus de homine assumpto*. Edition in: Pierre le Chantre, *Summa de sacramentis et animae consiliis* III, 2 b, ed. Jean-Albert Dugauquier (= *Analecta Mediaevalia Namurcensia* 21). Nauwelaerts/Giard: Louvain/Paris.
- Antl, Louis (1952): ‘An Introduction to the *Quaestiones Theologicae* of Stephen Langton’. *Franciscan Studies* 12: 151–175.
- Augustinus. *Contra Maximum*. PL 42: 743sqq.
- Augustinus. *De Civitate Dei*. CCL 47–48.
- Augustinus. *De Correptione et Gratia*. PL 44: 915sqq.

- Augustinus. *De Genesi ad Litteram*. PL 34: 245sqq.
- Augustinus. *De genesi contra Manichaeos*. PL 34: 173 sqq.
- Augustinus. *De Genesi, liber imperfectus*. PL 34: 219sqq.
- Augustinus. *De Libero Arbitrio*. CCL 29: 211sqq. (ed. W.M. Green).
- Augustinus. *De Trinitate*. CCL 50–50A. (ed. W.J. Mountain).
- Augustinus. *Enarrationes in Psalmos*. CCL 38–40.
- Augustinus. *Enchiridion ad Laurentium*. CCL 46: 49sqq. (ed. E. Evans).
- Augustinus. *Quaestiones in Heptateuchum*. CCL 33 (ed. I. Fraipont).
- Augustinus. *Retractationes*. PL 32: 583sqq.
- Augustinus. *Sermones*. PL 38: 23sqq.
- Augustinus. *Tractatus in Iohannis Evangelium*, ed. D.R. Willems, CCL 36.
- B(...?), R. (1892). [Review of Gertz (1892)]. *Nationaltidende* 24. Oktober. København.
- The reviewer R.B. probably = R. Besthorn.
- Bang(ius), Thomas (1640). *Observationum philologicarum Liber Secundus*. Salomon Sartorius: København.
- Biblia Sacra iuxta vulgatam versionem* (1975). Ed. R. Weber. Stuttgart.
- Blatt, F. & al. (eds.) (1938ff.). *Diplomatarium Danicum*. Det danske Sprog- og Litteraturselskab/Reitzel: København. (Documents relating to Andrew are found in “1. række”, i.e., Series 1, vols. 3–6).
- Boethius. *Liber de Persona et Duabus Naturis (Contra Eutychen et Nestorium)*. PL 64: 1337sqq.
- Boserup, Ivan (1984). ‘Om nogle fragmenter og nogle lakuner i abbed Vilhelms brevsamlings archetypus’. *Festskrift til G. Torresin*: 45–62: Hum.tryk, humanistisk fakultet A.U.: Aarhus.
- Brøndum-Nielsen, J. & al. (ed.) (1933–51). *Danmarks gamle Landskabslove med Kirkelove* ne 1–8. Det danske Sprog- og Litteraturselskab/Gyldendal: København.
- CCL = *Corpus Christianorum, Series Latina*. Turnhout 1953–.
- Christensen, Aksel E. & al. (1977). *Danmarks Historie* bd. 1. Gyldendal: København.
- Christensen, A.E. (1983). ‘Sunesen, Anders’. *Dansk Biografisk Leksikon* 14 (3. udg.): 208–211. København.
- Concilium Francofortense. *Monumenta Germaniae Historica*, Legum sectio III, tom. II,1: 110sqq.
- Corpus Iuris Canonici*, ed. Ae. Friedberg (1879). I: *Decretum magistri Gratiani*; II: *Decretalium collectiones*. Leipzig. [Repr. Graz, 1959].
- CSEL = *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum*. Wien 1886–.
- Dansk biografisk leksikon, 1. udg., ed. C.F. Bricks: København 1887–1905; 2. udg., ed. P. Engelstoft: Kbh. 1933–44; 3. udg., ed. S. Cedergreen Bech: Kbh. 1979–84.
- D.H.G.E. = *Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastiques*, ed. Baudrillart & al. Letouzey: Paris 1912ff.
- Dipl(omatarium) Dan(icum)*. See Blatt et al.
- Ebbesen, Sten (1984). ‘Anders Sunesen’ in: Søren Kaspersen & al. (eds.), *Dansk litteraturhistorie* 1: 295–304. Gyldendal: København.
- Ebbesen, S. (ed.) (1985, 1). *Anders Sunesen – Stormand, teolog, administrator, digter*. Fifteen studies with English summaries. G.E.C. Gad: København.
- Ebbesen, S. (1985, 2). ‘Hexaemerons svære passager: kvæstioner og teologisk logik’. In: Ebbesen (1985,1): 137–50.
- Ebbesen, S. (1986). ‘Corpus Philosophorum Danicorum Medii Aevi, Archbishop Andrew (†1228), and Twelfth-century Techniques of Argumentation’ in Monika Asztalos (ed.), *The Editing of Theological and Philosophical Texts from the Middle Ages* (= *Acta Universitatis Stockholmiensis, Studia Latina Stockholmiensia* 30): 267–280.

- Ebbesen, S. (forthcoming). 'The Semantics of the Trinity according to Stephen Langton and Andrew Sunesen'. *Acts of the 7th European Symposium on Medieval Logic and Semantics* (provisional title). Bibliopolis: Napoli.
